
GIORGIO
BIBLIOTECA
DEL VECCHIO
45
E
2
UNIVERSITÀ DI ROMA
ISTITUTO DI FILOSOFIA DEL DIRITTO


BIBLIOTECA GIORGIO DEL VECCHIO


CÆSARIS CARDINALIS BARONII TRACTATVS

DE MONARCHIA SICILIÆ.

Acceßit ASCANII *Cardinalis* COLVMNÆ *de eodem tractatu iudicium.*

Cum eiusdem Cardinalis BARONII Responsione Apologetica aduersus Cardinalem COLVMNAM, & Epistola ad PHILIPPVM III. Regem Hispaniæ.

Nunc primum Editum.



PARISIIS,
Apud HADRIANVM BEYS, via Iacobæa.
M. DC. IX.

CÆSARIS CARDINALIS BARONII TRACTATVS DE Monarchia Siciliæ.

MAxima indigent peruestigatione atq.discussione, quę feruntur de priuilegio ab Vrbano Papa II. Rogerio Comiti Siciliæ atq. filijs eius hæredibus cõcessa, quo veritas ipsa elucidata perspicua omnibus fiat, nec amplius mendaciis circũtecta celetur. Rẽ plane aggredimur, quæ multipliciter parere nobis possit inuidiam, atq. in nos odiũ cõcitare multorum. Sed summa inde nobis parta est dicendi fiducia, quod is, ad quẽ spectat ista corrigere, Rex sit veritatis amãtissimus, iustitiæ obseruantissimus, & in omnibus animo trãquillissimus. Atque insuper ex eo augetur magis alacritas cum libertate dicendi, quod non contra ipsum Regem, sed pro ipso (ita dixerim cũ[a] S. Ambrosio ad Theodosiũ) sint à nobis ista tractãda. Pro Rege namq. agimus, imò & cum Rege, dum pro veritate, cuius est cultor, & pro iustitia, cuius est rector, atque pro religione, cuius est custos & defẽsor, nos laboramus. Quod & cũ à nobis id exigat institutũ, tacere non liceat: nos silẽtes ar-

De diplomate ab Vrb. Pap. dato Rogerio.

a Paulin in Ambros.

bis ſacerdotalibus in Sicilia altera, altera in Hiſpania, eſt diuulgatũ in orbe, quarũ clangoribus nón deſtruãtur mœnia Hierichũtina, ſed magis qui in bona volũtate [b] Domini ſunt ædificati muri Hieruſalẽ, cũ bellicũ inſonuerint, quo excitati ſunt plures expugnare aduerſus Eccleſiã, eius pugnare iura, & adimere libertatẽ, captiuãq. pati cogere miſerã ſeruitutẽ. Parerat prius de ipſo, ante quã ederent, inueſtigare, & à quo ſic primũ editũ, intelligere, & in quã fidem acceptum, cognoſcere, & an integrum, examinare, originẽ petere, & prototypum, ſi poſſet reperiri, conſulere: deniq. verò illud ipſũ erroribus purgatũ, in candorẽ priſtinũ reuocatum, ſcholiiſq. illuſtratũ proferre, atq. ita benè mereri de Eccleſiaſtica ãtiquitate. Iſta verò prætermiſiſſe, & inemendatũ, imò & deprauatũ penitus edidiſſe, nec cõmonuiſſe Lectorẽ, quã graue peccatũ ſit, iudicet ipſe Lector, qui eorũ fidem ſecutus, in Scylleos ſe delatũ vortices non cognouerit, cũ ita nauigarit in tenebris, nec niſi admota veritatis face, in quod periclitandus diſcrimẽ inductus fuerit, poſtremò vix ſentiat. De ipſo igitur diplomate nos acturi, quo tẽpore ipſũ, vti ſcriptũ legitur, & quo au-

[b] *Pſal.* 50.

Quomodo diploma in lucem proditum.

ctore editũ fuerit, primo dicẽdũ, ac deinde in quã tunc auctoritatẽ atq. fidẽ acceptũ. Rem haud ignotã prodimus, sediam ore fere omniũ peruulgatã, ac verã, atq. monimentis etiã publicis comprobatã. Tempore siquidẽ Ferdinandi Regis, cognomẽto Catholici, Siculus quidã, Ioannes Luca Barberius dictus, anno Domini millesimo quingẽtesimo decimo tertio, egit cũ eodem Rege, vt eius auctoritate perquisita vndiq. ãtiqua diplomata, eadẽ in vnũ volumen, quod Caput Breuium appellaret, ad regni iura noscẽda colligeret. In quo præter alia multa illud, de quo agitur, Vrbani Papæ diploma, vti editum legitur, pariter scripsit, sed sicut cetera, vnde acceperit, verbũ nullũ. In quẽ taliũ inuentorẽ, vt impostorẽ, publicè conclamatũ ab iis, quorũ antiquæ possessiones recens inuẽtis hisce diplomatibus turbarentur. A quibus & eidẽ Ferdinando Regi fuit libellus oblatus, quo regia implorabatur clementia, ne in præiudicium plurimorum Barberianæ collectioni fides aliqua adhiberi deberet, nisi de singulis doceretur autographũ, quod quisque cum opus esset, consulere posset.

Quorum iustissimæ petitioni Princeps

iustissimus annuit. Porrò autẽ rerũ gestarum fides, ne quis de his dubitare aliquo modo possit, expressa habetur, & descripta legitur in libro Capitulorũ regni Siciliæ, capite centesimo nono, pagina ducentesima vigesima prima, eademq. per eundẽ Ferdinandũ Regẽ confirmata die vigesima quarta Iunii, tertia Indictione, anno Domini millesimo quingentesimo decimo quinto. Qui enim ista diligenter explorauit & vidit testis fidelis, scriptis nobis tradidit quã fidelissimè. Sic igitur, vt euidenter apparet, nullã penitus conciliat diploma editũ sibi fidẽ, nec auctoritatẽ aliquã sibi vendicat, nisi ex autographo accipiat eã. Prouocãdũ igitur ad prototypũ, ex cuius fide pẽdet huius auctoritas atq. veritas: quod cũ nunquã hactenus factũ sciatur, vt ei credatur, in reb⁹ pręsertim magni momẽti, nihil prorsus est quod cogat, vel aliquomodo suadeat.

Vis videre, Lector, atq. perspicuè intelligere, istud ipsũ quod est editũ Vrbani diploma, aliud omninò atq. diuersũ esse ab eo, quod datũ est Salerni ab eodẽ Vrbano Papa Rogerio Siciliæ Comiti? accipe perspicuã de his rationẽ. Cũ sæpe cõtigerit aduersus Apostolicã Sedẽ Siciliæ

Diploma quod Vrbani asseritur incognitum maioribus.



Vrbanus Episcopus seruus seruorum Dei charißimo filio Rogerio Comiti Calabriæ & Siciliæ salutem & Apostolicam benedictionem.

Vrbani Pap. assertum diploma.

*Quia prudentiam tuam supernæ Maiestatis dignatio multis triumphis & honoribus exaltauit, & probitas tua in Sarracenorum finibus Ecclesiam Dei plurimum dilatauit, * & sanctæ Sedi Apostolicæ deuotam se multimodis semper exhibuit: nos in specialem atque charißimum filium eiusdẽ vniuersalis Ecclesiæ te assumpsimus. Idcircò de tuæ probitatis sinceritate plurimum confidentes, sicut verbis promisimus, ita literarum auctoritate firmamus: Quod omni vitæ tuæ tempore, vel filij tui Simonis, vel alterius, qui legitimus tui hæres extiterit, nullum in terra potestatis vestræ, præter voluntatem aut consilium vestrum, Legatum Romanæ Ecclesiæ statuemus. Quinimò quæ per Legatum acturi sumus, per vestram industriam, Legati vice, cohiberi volumus. Quando ad vos ex latere nostro* mittere-mus ad salutem * sanctarum Ecclesiarum, quæ sub vestra potestate* consistunt, ad honorem beati Petri, sanctæque eius Apostolicæ Sedis, cui deuotè hactenus obedisti,*

* al. sanctæque.

* al. miserimus.

* al. videlicet.

* al. existunt.

*quamque in necessitatibus suis strenuè & fideliter adiuuisti. Si verò * celebratur Concilium, & tibi mandauero, quatenus Episcopos & Abbates tuæ terræ mihi mittas: quos & quos volueris * mittes, alios verò ad seruitium Ecclesiarum tuarum * retineas. Omnipotens Deus actus tuos in beneplacito suo dirigat, & te à peccatis absolutum in vitã æternam perducat. Datum Salerni per manus Ioannis sanctæ Romanæ Ecclesiæ diaconi, tertio Nonas Iulij, Indictionis septimæ, anno Pontificatus nostri vndecimo.* Hactenus diploma.

* celebrabitur.

* mittas

* & ad tutelam.

Quod quidem toties abrogatũ fuisse oportuit, quoties inter ipsos Romanos Pontifices atque Siciliæ Reges de his constat fuisse transactum, vt cum inter Rogerium atque Eugenium Papam ita est concordatum, quod nullũ Legatum mitteret in Siciliam Pontifex, nisi quem Rex ipse peteret; non autem vt Rex ipse Legati Apostolici vicem teneret, quod ab Vrbano fuisse concessum, asseritur. Quod constat ex Romani Senatus Epistola ad Conradũ Regem Romanorum, quam recitat Otto a Frisingensis Episcopus eius tẽ-

Diploma deprauatũ in tempore consignato.

poris au&ctor. At de aliis transactionibus initis in fauorem Romanæ Ecclesiæ, inferius dicturi sumus.

a Otto Frising. in Frideric. lib. 1. cap. 28.

Sed antequam vlterius procedamus: corrigamus primo errorem illapsum in tempus. Nam cũ constet diploma datum esse Salerni, & aduentum Vrbani illuc hoc ipso anno contigisse, exploratissimum sit testificationibus eius tẽporis Scriptorum omnium, quos recensuimus: vtique signatum ipsum opportuit Indictione non septima, sed quinta, neque anno vndecimo Vrbani Papæ, sed decimo confirmantur ista eo validius, quod non anno sequenti, quo annus vndecimus Vrbani Pontificis numeratur, qui in diplomate scribitur, potuit datum esse diploma. Nã eò tempore, anno sequenti scilicet, nõ Salerni, vbi datum legitur, sed Romæ constitit Vrbanus ad celebrandum Cõcilium, vt suo loco patebit: neque post sequentem annum, quo signata in diplomate septima currit Indictio: nam eodem pariter anno, eo tempore non Salernum, sed Roma Vrbanum tenuit pariter in alio celebrando Concilio, vt

intelliges suo loco. Sic igitur quæ deprauata ostendimus, sunt in diplomate corrigenda. Cum tamen non adeò seueri exactores simus, vt ob eiusmodi librariorum vitia illapsa, velimus idem diploma reiicere.

Quãdo & à quo diploma in auctoritatem acceptum.

At istud ipsum, quidquid sit, & quale sit, à nobis nuper recitatum diploma scias, vti oraculum cœlitus lapsum, in plenissimam fidem acceptum, atque in fundatione Monarchicæ molis fundamentum positum esse. Horrescit auditus; vt explosum sententia Ferdinandi, cuius nullum extaret quod ostẽdi posset autographum, nullius esset auctoritatis assertum Vrbani Papæ diploma: illud ipsum sub eius successore Carolo Quinto Imperatore bellicis rebus intento, Principe inuictissimo, tunc in regno Sicilię opera Aduocati Fiscalis, vti quidpiam diuinum in sublime attolleretur, prçconiis laudaretur, summóque plausu exciperetur, & vt lapis angularis faciens vtráq; vnũ, tẽporali simul & spirituali iũcta auctoritate, noua, hactenus in Ecclesia Catholica inaudita cõstituta fuerit Monarchia. Sic ita cum de his

est agitatum cõsilium, Consiliarios fefellit iniquitas religionis obducta velo, dum seruandum proponitur, quod Papa sanctissimus, Vrbanus Secundus sacro diplomate statuisset; cui aduersari nefas duceretur, diceretur & impium.

Prætensa igitur Apostolica auctoritate, contra Apostolicam ipsam Sedem grande piaculum perpetratur, dum ipsa inconsulta Apostolica Sede, eius in regno Sicilię potestas labefactatur, auctoritas abrogatur, læditur iurisdictio, & cum ea leges violantur Ecclesiasticæ, patiturque dispendium antiqua traditio, atque demum, vt ipsa erigatur in Sicilia Monarchia, iura omnia Ecclesię dissipantur. Nomen hactenus inauditũ tunc proclamatur infaustum, adscribitur chartis, & memoriæ perpetuæ consecratur iam regijs cusum typis, & Imperatorio promulgatum edicto. Ita abusi ministri illi nomine tanti Imperatoris, vt tantum nefas auderent. Siquidem anno Redemptoris millesimo quingentesimo vigesimo sexto, die septima mensis Decembris datum legitur edictum Caroli Quinti nomine potius

quam voluntate, de confirmatione Pādectarum impressi voluminis, in quo asseritur Monarchia, atque ipse seorsū scriptus legitur liber, qui inscribitur, Monarchia, omnium regni Consiliariorū subscriptione munitus, cuius autographum asseruatur in Siciliæ Cancellaria, ex quo exemplaria duo descripta dicuntur, quorum alterum fertur ad Regem missum, alterum verò ad Aragonense Consilium datum. Qui se vidisse testatur, vir pius, scriptis retulit ista.

Quæ contineat Monarchia.

Sed & quæ sibi iura eadem vendicet Monarchia, dicendum. Quod enim auctoritate Vrbani Papę diplomatis ipsum Rogerium Siciliæ Comitem atque eius hęredes Legatos à latere constitutos omninò velint: omnes pariter successores Reges in Siciliæ regno Legatos natos esse contendunt, eosdemq; omnia, quæ sunt Legatorum à latere, efficere posse confirmant: imò & substituendi potestatem habere cum eadē auctoritate, nimirum, vt iudicare & punire possint, absoluere & excommunicare quos velint, laïcos, monachos,

clericos, etiam Ecclesiastica dignitate Prælatos, Abbates, Episcopos, & Archiepiscopos, imò & S.R.E. Cardinales ibi degentes eidem Monarchię subditos esse velint. Eiusdem quoque Monarchicæ esse facultatis, appellationes ad sanctam Sedem Apostolicam impedire, Nuntios eiusdem sanctæ Sedis nõ admittere, atque demum respectu Ecclesiasticæ iurisdictionis, neque ipsam Apostolicam Sedem recognoscere & habere superiorem, nisi in casu præuẽtionis. Ista sunt quæ Vrbani auctoritate diplomatis Reges in Sicilia velint sibi licere. Quid tu ad ista dixeris Lector, nisi sub vocabulo Monarchiæ, præter Monarcham vnum, quod vnicum caput visibile in Ecclesia à Fidelibus omnibus semper est cognitum atque cultũ, aliud in monarchia Siciliæ obortũ, aliud superinductum, pro monstro & ostento caput Ecclesiæ, in qua non amplius, vt semper anteà vnus, sed duo audiantur, scribantur, legantur esse monarchæ, ac duo insuper in ea deformiter ostentari capita?

At quod ad ipsum in primis nomen

De ipso nomine Monarchiæ.

spectat: quomodo post quadringentos triginta annos à tempore dati ab Vrbano Papa diplomatis, quod nunquam à pijs Regibus, nec à tyrannis ipsis Romanæ Ecclesiæ perduellibus, neque ipsis acerbissimis Romanæ Ecclesiæ persecutoribus Friderico, filio, atque nepotibus eiusmodi Monarchiæ nomen vsurpatum vllatenus reperitur: recens natum inuenitur superinductum? potuitne tot seculis intra viscera latuisse parentis, vt nonnisi hoc postremo tempore tantum pareretur ostentum? Exhorruit semper Catholica Ecclesia, assueta seruare quod antiquitus traditũ, voces nouas; nisi cùm ad nouas profligandas hęreses, noua ipsam oportuit excogitasse remedia, custodiens in Timotheo Pauli depositum, ita scribentis
a 1. Tim. 6. ad eum: a *O Timothee, depositum custodi, deuitans profanas vocum nouitates.* Hinc inquam, vt serpentis sibilos, consueuit Ecclesia Catholica nouas huiuscemodi audire, atq. horrescere voces, & execrari. Et quomodo ipsa patietur istam, quę aduersatur custoditę mordicus in Ecclesia vnitati? Si vna est consensu fi-

delium omnium in Ecclesia à tempore Euangelij promulgati monarchia, nec alteram superinduci ab illa, quæ Christi ore noscitur stabilita, ad Petrum tãtum, non ad alium quempiam Apostolorum ista dicentis:[b] *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meã.* Et ad eundem post resurrectionem:[c] *Pasce agnos meos, pasce oues meas.* Vnquã passi sunt Orthodoxi: quomodo hodie infaustum nomẽ, vox infelix, altera auditur in Ecclesia monarchia?

b *Matt.* 16.

c *Ioan.* 21.

Quod si dixerint, non est dicenda ista altera monarchia, cũ pendere istam dicamus ab illa, dum eam auctoritate diplomatis Pontificij vendicamus: & nos hoc ipsum dicimus, si nõ est altera, sed vna cum ea; vtique non altera dicẽda est monarchia, sed vnicum relinquendum, seruandum, & custodiendũ Monarchiæ nomen est illi, quod ipsi impertitum à Christo, in ea solum semper sunt venerati Fideles. Si igitur auctoritate diplomatis Pontificij id vobis iuris quæsitum contenditis (ministros illos Regios compello) cur plusquam concessum sit illo, vobis sumitis

Abolendũ omnino nomen Monarchiæ.

in nouitate vocabuli? Demus, quod dicitis, Vrbanus voluit Reges Siciliæ esse Legatos natos à latere: nunquid diplomate ſanxit, eos dicendos eſſe monarchas? nequaquam. Magna quidem inter vtramque vocem eſt differentia. Cum autem plures ſint hodie in Eccleſia Catholica nobiliſſimarum Eccleſiarum Antiſtites, qui ex vero certóque priuilegio Apoſtolicæ Sedis Legati nati obtinent dignitatem: num ex eo aliquis eorum auſus eſt aliquando ſeſe appellare monarcham? minimè gentium. Quamobrem etſi non alia ex cauſa, vel ex hac ſaltem ſuccidendum eſt nomen adulterinum, ne tali exemplo propagetur in alios: alioqui in Eccleſia Dei, in qua nonniſi vnus poſſit eſſe monarcha, monarcharum ſilua (horrẽdum dictu) ſuccreſceret infamia sẽpiterna primatus Romanæ ipſius Eccleſiæ. At hæc, quod ad nomẽ ipſum, dicta ſatis, res autem ipſas ad examẽ modò reuocemus.

Quonam iure, qua ratione ex eodẽ Vrbani Papæ ſuperius recitato diplomate tanta vobis ſumpſiſtis, vt ex eo,

Legatos à latere, itemque natos, atque demum monarchas effectos Reges omnes Siciliæ dicere præsumpseritis? Esto, concesserit ista Rogerio eiusque filijs Vrbanus Papa: nunquid hæredibus cunctis, & successoribus omnibus esse concessa, affirmare poteritis? nullo modo. Recitentur eadem verba Pontificis: sic se habent:

Vrb. diploma non excedit filios Rogerii Com.

Quod omni vitæ tuæ tempore, vel filij tui Simonis, vel alterius, qui legitimus tui hæres extiterit, nullum in terra potestatis vestræ, &c. En quam cautissimè Papa voluit expresisse personas, quibus illud concederet priuilegium. Expresit enim Rogerium patrem, Simonem filium, & alterum filium, si extiterit ipse hæres. Duo namque Rogerio Comiti erant filij, Simon maior natu, atque Rogerius, quem voluit expresisse voce illa, alterius; quod quidem nomen non de pluribus, sed de vno ex duobus duntaxat dici, sciunt omnes, qui Latinas litteras didicerunt. Si igitur cautũ, vt filios illos duos Rogerij priuilegium non excederet. Quomodo ergo deducitis ad hęredes omnes? quomodo ad-

hucinsuper, cum hæredes Rogerij omninò defecerint, trahitis etiã ad successores omnes? Vbi de hæredibus omnibus, & successoribus aliqua inest mẽtio in diplomate? quod quidem, cum id præstari voluerint Romani Pontifices, expresse conscribi, exactè notari, dilucidè poni, minimè prætermisisse noscuntur.

Vrbani Pap. diploma sæpius reuocatum.

At quid amplius? etiam si expresse Vrbanus Pontifex ea concessisset omnibus hæredibus atque etiam successoribus omnibus Rogerij Comitis: adhuc tamen ea ipsa nullo modo deduci potuisse ad Carolum Quintum, hac apertissima ratione firmamus. Quod cũ plurima extent Pontificum Romanorum diplomata, quibus sunt collatæ Inuestituræ de regno Siciliæ diuersis Regibus, atque in eis disertis verbis reuocentur cuncta sigillatim, quæ aduersus ecclesiasticam immunitatem quoquo modo sint præsumpta: planè nihil est, vt aduersus tot Pontificum documenta, de quibus sigillatim inferius fiet mentio, istiusmodi diploma aliquid si-

bi vendicare posſit auctoritatis.

At nec quod prætenditur, vllo pacto concesserim, per Vrbani diploma creatum Legatum à latere fuiſſe Rogerium ipſum, atque filios eius. Hęc vt plenius cognoſcantur, eiuſdem hic Papæ diplomatis verba ſunt repetenda, quæ ſic ſe habent: *Nullum in terra poteſtatis veſtræ, præter voluntatem aut conſilium veſtrum Legatum Romanæ Eccleſiæ ſtatuemus. Quinimmò, quæ per Legatum acturi ſumus, per veſtram induſtriam Legati vice cohiberi volumus.* Quis iſta perlegens, non percipiat ex verbis eius, non legationem à latere conceſſam eſſe Rogerio, ſed eum vicem Legati implere voluiſſe, & in his tantum cohibendis, quæ per Legatum Apoſtolicæ Sedis cohibenda forent? Aliis namque formulis, iiſdemque plenioribus, atque adeò ſpecificis conſueuiſſe concedi ab ipſis Romanis Pontificibus legationes à latere nemo ignorat, qui eiuſmodi lectionibus eſſueuit. Vices Leg. agere Rogerium iuſſum ab Vrb. Papa.

Præterea non perpendunt, quanta ab ipſis irrogetur iniuria Vrbano Pontifici, cum velint ea conceſsiſſe ipſum Vendicatur Vrb. Papa ab irrogata iniuria.

Vrbanum Rogerio, quæ per Reges huius temporis malè aduersus ecclesiastica iura vniuersa Ecclesia Catholica scãdalum patiente, exercentur: cum in vendicandis Ecclesiæ iuribus ab vsurpatione laïcorum, idem sanctissimus Pontifex nulli reperiatur fuisse secundus, sed inter primos eiusmodi zelo exæstuantes claros Romanos Pontifices numerandus; quique iis ipsis tẽporibus vixerit, quibus iugiter certãdum erat pro his ipsis aduersus inuasores Romanæ Ecclesiæ iurium. In quibus laboribus obeundis, quæ eiusdem Vrbani Pontificis partes fuerint, docent quæ de eo sunt enarrata per annos singulos Pontificatus eius, quorum causa Concilia adeò frequentia indicenda, peregrinationes assiduè ab ipso obeundæ fuere, scribique ad diuersos epistolas frequentet oportuit; ne vel latam vnguem præiudicium inferri sineret ecclesiasticæ immunitati.

Potuitne tanta concessisse Rogerio, quorum partem aliquam tantum si Imperatori Henrico ferocissimo Ecclesiæ persecutori cessisset, pacem proculdu-

bio vniuerſalis Eccleſiæ redemiſſet, & tot tantisque cladibus afflictam diutius Eccleſiam liberaſſet? Si quid igitur vulneris fuiſſet infligendum Eccleſię: planè pacis vniuerſalis cauſa comparandę, & pſeudopontificis propulſandi tolerandum vtique fuiſſet illud: ſed prius cuncta pati, quam quid minimum Eccleſiæ iurium imminui decreuit animo Vrbanus Papa, quod & dum vixit, effectu ipſo egregiè præſtitit, nihil magis ſollicitè curans tota ipſa ſui Pontificatus functione, nihil ſtudioſius tractans, vel cupidius ſatagens, quam ne quid minimum Eccleſiæ iurium ſibi ſeculares Principes vendicarent. Nam audi, quæ de Vrbano ipſo eiuſdem temporis ſcriptor dicat Domnizo.

Nunquam decreuit libertas deniq. Sedis Romanæ per eum.

Hæc ipſa in vita Mathildis, citata ſæpè ſuperius. Immò audi Vrbanum ipſum ita reſcribentem ad Rudolphum Comitem: [a] *Noſſe te volumus, quia nulli ſecularium domino poteſtatem in clericos habere licet: ſed omnes clerici Epiſcopo ſoli eſſe debent ſubiecti. Quicunque verò aliter* a Iuo. part. 6. cap. 408.

præsumpserit: canonicæ procul dubio senteñtiæ subiacebit. Sed & eodem argumento scriptam ab eo ad Salernitanum Clerum & populum breuem epistolã legito. Sic se habet:

Vrbanus in omnibus defensor Eccl. immunitatis.

Vrbanus Episcopus seruus seruorum Dei dilectis filijs Clero & populo Salernitano salutem & Apostolicam benedictionem.

Lanzonem presbyterum, qui ecclesiam sanctæ Mariæ per manum laicam inuasit, expulso eo qui legitimè poßidebat: noueritis sententia nostra officio & beneficio interdictum. Omnes præterea, qui ecclesias, vel ecclesiastica beneficia, aut capellanias sine Episcopi sui consensu, per manum laicam obtinuerint; donec satisfaciant suo Episcopo secundum sanctorum canonum constituta, ab officio & beneficio interdicimus. Hæc ex monimentis Salernitanæ Ecclesiæ, quæ in Vaticana bibliotheca asseruantur. Quæ quod certò careant anno quo data sũt, hic voluimus descripsisse, cum ceteris fermè annis singulis Pontificatus eius res gestæ ab ipso hæc de eo latius prædicent.

An potuit, quæ tanto labore ædificauit tot annis, vna hora in congressu illo

illo Salernitano cum Rogerio Vrbanus Pontifex destruxisse; vt secundum illud Apostoli: b *Si quæ destruxi, iterum hæc ædifico; præuaricatorem me constituo.* Ipse turpiter præuaricationis nomine fuerit arguendus: si tanta diplomate illo, quã-ta isti proferunt renouata per recentes Reges Siciliæ, Rogerio ac posteris cõcessisset? Absit, absit, longè longius, inquam, proculque absit, vt Monarchiæ illius dicatur Vrbanus erector, ædificatorque turris Babel in contumeliam Dei, & opprobrium Apostolicę Sedis; cuius planè non ædificatorem sed destructorem se dum vixit, semper Vrbanus exhibuit, qui & nunc de cœlo in ipsam Fidelibus clamet illud Dauidicũ: c *Exinanite, exinanite vsque ad fundamẽtum in ea.* Vtpote quę ipsis eam erigentibus, atque tuentibus æternum exitiũ pariat, in cuius tantum ruina spes sit eorum ad salutem erectionis. Sed & in Concilio vniuersali Romæ sub eius successore Paschali Pontifice celebrato, ab vniuersa Synodo acclamatum est eidem Vrbano Pontifici, vti iurium Ecclesiæ acerrimo vindici, defensori atque

Procul ab Vrbano proditio Ecclesiæ iurium.

b *Gal.* 2.

c *psal.* 136.

propagatori; idque sæpius factitatum, prout suo loco, sequẽti Tomo dicetur; quod profectò fieri minimè potuisset, si erectorem Monarchiæ Siculæ posse dici modo aliquo contigisset.

Detegitur deprauatio Diplomatis

Sed quid detineo vltra Lectorem, & non citò detego aduersantium malas artes, qui non vt se habuit, ipsum verũ, germanum, legitimum, in omnibus integrum ediderunt diploma; sed mutilatum, decurtatum, atque corruptum in omnibus, quibus iura Romanæ Ecclesiæ salua essent, exhibuerint ipsum? Agimus immensas Deo gratias, quia cæcitate percutiens illos, qui manu sacrilega sacrum diploma Pontificis in pluribus mutilarunt, non siuit eos videre illa, quibus istiusmodi per eos patratum scelus aperta luce, certa probatione; atque euidentissimo argumento probari posset. Si enim vidissent, atque considerassent; quis dubitet, idipsum ab eis, eadem falce adhibita falsitatis, fuisse peractum? Quemnam putas, ad hęc probanda adhibituri simus testem: illum ipsum ex aduersantium domo petitum, ab ipsis iure laudatum, re-

ceptum, probatum, cui nec sit quod obiici possit, quippe qui hoc eodē tempore vixit, & scripsit historiam Siculã, eodem ipso (vt profitetur) exposcente Rogerio Comite, de quo agitur. Nominatus est iste Gaufredus, professione monachus Benedictinus, cuius opus antiquitate ipsa planè venerandum delituit penè sepultum inter vetera monimenta Regum Aragonum ad nostrã vsque ętatem; cum illud ipsum Hieronymus Surita, vir celebris, de rerum antiquitate benè merens in lucem protulit, ediditque Cæsaraugustę typis Dominici à Portonariis, ãno salutis millesimo quingentesimo septuagesimo octauo, idemque munitum adhuc & laudatum Regio priuilegio (ne quid ad absolutissimam fidem eius deesse posset) dedicatum verò Antonio Augustino tunc Archiepiscopo Tarraconēsi, eruditione legum sacrarum suæ ętatis in Hispania facilè principi.

Hic ipse auctor à nobis superius citatus eadem occasione congressus Vrbani Papę cum Rogerio Siciliæ Comite, acturus de eiusmodi priuilegij concef- **Occasio aperitur cōcedendi Priuilegii.**

sione, facta ab Vrbano Pontifice ipsi Rogerio, ista petendi eiusmodi præcessisse sic narrat [a] occasionem: *Sed quia ipse Apostolicus iam dudum Robertum Episcopum Trainensem, Comite inconsulto, Legatum in Sicilia ad exequendum ius sanctæ Romanæ Ecclesiæ posuerat, perpendens hoc Comitem graue ferre, & nullo modo, vt stabile permaneat, assentire: cognoscens etiam, ipsum Comitem in omnibus negotijs ecclesiasticis exequendis zelo diuini ardoris exferuescere: cassato quod de Episcopo Trainensi fecerat, legationem beati Petri super Comitem per totam Siciliam, vel habendā hæreditaliter ponit, ea discretione, vt dum ipse Comes aduixerit, vel aliquis hæredum suorum zeli paterni ecclesiastici executor superstes fuerit, Legatus alius à Romana Sede, ipsis inuitis, nullus superponatur.* Hæc ipse. Quæ planè integra vt vidisti, in ipso recitato superius diplomate continentur.

[a] Gaufr. lib. 4. c. 9.

Quę ex diplomate sint dolosè sublata.

Sed quæ malis artibus, & dolo malo de eo sint dempta, quæ in eo contineri, idem ipse testatur, iam demonstremus, atque nos hic, honoris causa redditæ postliminio diu exulis veritatis, gran-

diuſculis litteris deſcribamus,ſic ſe habent:

SED SI QVA ROMANÆ ECCLESIÆ IVRIS EXEQVENDA FVERINT, †CHARTVLIS A ROMANA SEDE IN SICILIAM VEL CALABRIAM DIRECTIS, PER IPSOS CONSILIO EPISCOPORVM EARVNDEM PROVINCIARVM AVTHENTICE DEFINIANTVR. Iſta ſunt quę manus audax ad ſacrilegiũ prompta abſtulit à recitato Papæ diplomate. Quæ tanti noſcuntur eſſe momenti, vt ſi iſta reſtituantur in ipſum, nullum penitus videas irrogatũ damnum per eam conceſsionem priuilegij Rogerio factam iuribus Apoſtolicæ Sedis, cum ſit in his verbis illi integrum reſeruatum, vt cum opus eſſe iudicauerit Papa, miniſtros ſuos in Siciliam mittat cauſas vrgentes cognoſcere; qui, & ſi ita placuerit ipſis, Epiſcopos ad Synodum congregent, quorum cõſilio ipſorum ſententia expectetur. Talia igitur, tantaque è diplomate ſubduxiſſe, quanti reatus fuerit, iudicent omnes.

*Chartulariis, neceſſario legendum, cum paulo poſt dicat, per ipſos.

Porrò iſtud ipſum, vt pro tuendis iu-

ribus Romanæ Sedis post huiuscemodi priuilegium ab Vrbano Rogerio impertitum, vsu frequentauerint Romani Pontifices mittere in Siciliã ministros, cum opus fuerit, certum esse, certò exẽplo monstratur de Vrbani ipsius successore Paschali Papa; qui legitur misisse Apocrisarios in Siciliam ad exigenda Apostolicę Sedis iura, dum ab Archiepiscopo Panormitano præstari iubetur iuramentum fidelitatis sanctæ Apostolicæ Sedi. Extant de his eiusdem Paschalis Pontificis litterę, quas Gregorius Nonus intexuit inter [b] Decretales à se collectas epistolas. Habes ex his igitur, & quod ex diplomate demptum fuerat restitutum, & quod fuit in eo declaratum eiusdem Vrbani Papæ successoris exemplo, vt nihil sit, quod de his desiderari vlterius possit.

b c *signifi. casti extr. de elect.*

Alia adhuc ex diplomate sublata.

At non hic finis latrocinii expilati diplomatis. Aperiantur cetera, vt restituatur in integrum tantopere passa damnum veritas ipsa. Subiicit idem Gaufredus auctor, de his dicere, quæ post hæc eodem ipso diplomate continerentur, sic pergens: *Quod si Episcopi*

ad Concilium inuitati fuerint: quot & quos ipsi Comiti, suis futuris hæredibus visum fuerit, illuc dirigant. Hæc integra sunt conseruata in textu, sed quæ fuit addita limitatio ab Vrbano, penitus sublata noscitur, quę mox ab eodem Gaufredo fide sincera ita subijcitur: NISI FORTE DE ALIQVO IPSORVM IN CONCILIO AGENDVM SIT IN SICILIA VEL CALABRIA * IN PRÆSENTIA SVA AVTHENTICE DEFINIRI NEQVIVERIT. En quãta ista, quæ dolosꝰ artifex in gratiã principũ abstulit, similis illi de quo in Psalmo: c *Sicut nouacula acuta fecisti.* Abradens à diplomate, quę sibi ad concinnandam quam moliretur fraudem, viderentur esse contraria.

*. VT.

c *Psal.* 51.

Qui enim visus est indulsisse Vrbanus Papa Rogerio, vt vocatos ad Concilium Episcopos, quos vellet retineret vel mitteret, cum superaddidit: *Nisi fortè de aliquo ipsorum in Cõcilio agendum sit:* Planè significauit, quod ipsi esset liberum, cum vellet, Siculos & Calabros Episcopos ad dicendam causam vocare ad Apostolicam Sedem, *cum videli-*

cet(vt ſubdit) *ipſorum cauſa in Sicilia vel Calabria authenticè in præſentia ſua definiri nequiuerit.* Nā quid eſt quod ait: *Authenticè definiri non poſſe?* niſi canonicè, ſecundum leges eccleſiaſticas terminari? quæ prohibent Principes cognoſcere & iudicare cauſas Epiſcoporū, quibus quidem caſibus cauſæ Epiſcoporū, quæ agitari authenticè, vt ait, coram Principe ſeculari non poſſunt, ad Sedē Apoſtolicam ſint deferendæ. En vides Lector, quanta ſubtraxerit, & quanti momēti veterator (quiſquis fuerit ille) quæ ſi in locum ſuum reſtituantur; fiēt etiam integra vna cum diplomate Sedis Apoſtolicæ iura, & Vrbani Papæ laudanda prudētia erit, quod ita indulſerit roganti Comiti, vt tamen voluerit Romanæ Eccleſię iuribus in omnibus eſſe conſultum.

Deteſtatio patrati ſceleris.

Quis iſta conſiderans, non exclamet. O fraudem ſolennem, Cornelia lege plectendam! quam non timuit, in quā peccauit qui iſta adeò enormia ad conciliandam ſibi Principum gratiam perpetrauit, cum deſcriptum mox ab eodem auctore ac redditum ipſum inte-

grum Vrbani Papæ diploma, vt profitetur, cum iisdem haud dubium per ipsum assertis sententiis, turpiter mutilauit, dum in ipso diplomate apud Gaufredum edito desiderentur eædem ipsæ sententiæ, paulò ante ab eodem auctore, qui vidit & descripsit, integrè, vt vidimus, recitatæ. Quando autem admissum portentosum adeò scelus, & à quo fuerit perpetratum adeò pudẽdum facinus, haud adeò exploratum habemus vt possimus asserere: verum illos minimè vacare culpa, liberè dicimus, qui ex eodem Gaufredo illud ipsum diploma describentes, atque edentes, sẽtẽtias illas ab eodem superius recitatas describere penitus prætermiserint, quarum vel saltem meminisse debuerant. Siccine bona fide res acta, vt ad Monarchiam construendam oportuerit prius ita destruere Vrbani Papæ diploma, & ita ipsum reddere mutilatum? cum in promptu esset resarcire iacturam, & sublata fragmenta coniungere, ab eodem Gaufredo suppeditata, deque his monere Lectorem, atque ita benè mereri de prodita veritate? quo nomine ab v-

noquoque legentium immortales gratię fuissent agendę. Agimus verò nos iterum Deo gratias, qui sic, cum ipse sit Veritas, patrocinium suscipit veritatis, vt dementet fraudulentos, nec permittat facere cũcta, quæ velint, cum voluit Vrbani Papæ diploma illibatum & integrum in Gaufredo mansisse, dum ab eo ipsius describitur argumentum, atq. sententię recitantur: quod posteà, vt vidisti, eo modo manus fraudulenta corrupit, & malus artifex mutilauit.

Qũomodo recipiendũ Vrbani diploma.

Quod si integrum ipsum reddatur, prout ab ipso Pontifice noscitur esse datum, restitutis in ipsum clausulis illis atque sententiis per Gaufredum verbis totidem recitatis: tantum abest, vt à nobis reiiciatur, vt exosculemur illud, vtpote sanctissimi Pontificis monumentũ, quo magna cautela ita Principi voluerit satisfactum, vt tamen Apostolicę Sedis immunitati nihil passus sit esse detractum. Tantum, inquam, abest, vt restitutum ipsum integrum, esse Vrbani genuinum, negare velimus; quin potius parati simus ostendere aliud id genus priuilegium ab alio Romano Pon-

tifice, eodemque Vrbano non impare, alii Christiano Principi esse cōcessum; sed nec per ipsum Apostolicæ Sedis iura esse sublata, vt aliqua super ipsum erecta fuerit Monarchia, sicut super ipsum Vrbani datum Rogerio factum apparet. Qui enim post Vrbanum Secundum successit tertio loco Callistus Papa Secundus; quique in vendicandis, & extorquēdis de manu Imperatoris abreptis Ecclesiasticis iuribus, summam præ omnibus suis antecessoribus sibi gloriam comparauit: post celebratum ab ipso Rhemense generale Concilium, congressu habito cum Hērico Anglorum Rege, quid petierit Rex ab eo, & quid concesserit ipsi Callistus; sic in Annalibus Anglorum Rogerius narrat, quod & nos inferius suo loco ponemus: *Rex à Papa impetrauit, Vt omnes consuetudines, quas pater suus in Anglia & Northmannia habuerat, sibi concederet; & maximè, Vt neminem aliquando Legati officio in Anglia fungi permitteret, si non ipse, aliqua præcipua querela exigēte, quæ ab Episcopis regni sui terminari non posset, hoc fieri, à Papa postularet.* Hęc ipse.

Quibus plane nihil derogatum scitur Apostolicæ Sedis iuribus, quia maioribus exigentibus causis, ab Ecclesia Romana legationes in Angliam fuerint frequentatæ, eędemque decenti cultu à Regibus Anglorum exceptę, prout declararunt euenta. At sicut his nõ cõtradicimus, ita nec reiicimus Vrbani diploma, si reddatur integrum, & non, vt est demonstratum, tot sententiis mutilatum.

Sed nec est, quod verba Gaufredi, quæ in diplomate scripta fuisse docet, aliquis in alium sensum conuertere iure possit, vt nullum eidem concessioni afferat præiudicium: nam vel ex eo tantum, quod é textu ablata noscuntur; ipsum delictum arguit malam fidem, & contrariam ipsis veritatem magis insinuat. Sed & ipsa narrata nuper Paschalis Papæ legatio in Siciliam missa, quæ sunt dicta, declarat eo modo esse intelligenda; nempe vt cum in Sicilia de iuribus Apostolicæ Sedis agitur conseruãdis; tunc esse liberum Romano Pontifici Carthularios, quos ipse Paschalis nominat Apocrisarios, illuc pro arbi-

trio mittere. Quęnam verborum interpretatio poterit esse verior, certiorque probari ea, quam ipso vsu experientia comprobauit? nimirum dum mox post Vrbanum à successore Paschali vidimus factitatum, quod faciendum eius diplomate cautum erat.

Iam igitur patefacta fraude, & ostenso ipso diplomate vitiato, adulterato, deprauato, atque corrupto: & quod ita vt est editum corruat penitus & non subsistat: plane necesse est, vt ingens ista moles erectæ desuper Monarchiæ magno fragore ruat, si res iure agitur & nō violentia. Quod existimare nefas de Rege Catholico maximè pio, Christianæ religionis cultore studiosissimo, Fidei orthodoxæ custode vigilantissimo, atque potentissimo defensore: quem & libentissime scriptionis huius nostræ arbitrum constituimus, probè scientes, à iustissimo Principe non nisi iusta fore præstanda.

Quod verò pręter eandem Vrbani assertam Epistolam adhuc alia quędam eademque leuissima pro Monarchiæ Siciliæ firmitate in medium afferuntur: Quæ alia ad probandam Monarchiam inducātur.

hic eadem ſunt conuellenda. Dicunt enim, reperiri nonnulla Siciliꝫ Regum diplomata,in quibus ab iiſdem Regibus legatur anathematis ſententia promulgata aduerſus eos,qui ea quꝫ ipſi iuſſiſſent,non implerent,ſed euerterent. Siquidem in Cancellaria regni Siciliæ de omnibus regiis patronatibus liber collectus eſt, qui continet donationes ab iiſdem Regibus in diuerſas Eccleſias, atque monaſteria collatas: ad quarum finem hæ vel his ſimiles formulꝫ leguntur appoſitꝫ,quꝫ excommunicationem videantur inferre,videlicet: Si quis hãc noſtram donationem infregerit, anathemate condemnetur, vel auctoritate Apoſtolica anathemate damnetur,itẽque: cum Iuda traditore partem habeat,& alia his ſimilia,quævelint iſti ab eis appoſitaauctoritate legationis Apoſtolicæ Sedis,qua Reges Siciliæ (vt nugantur) Vrbani Papæ fungerentur auctoritate.

Execrationes apponi ſolitæ ab vnoquoque.

Potuiſſent fortaſſe iſti eiuſmodi exẽplis ſuadere ſimplicibus quod conãtur: verum qui antiquarum formularum ex inſpectione eiuſmodi à diuerſis ſoli-

tarum fieri donationum notitiam habet, ridebit ista, cum vix aliquod sit reperiri instrumentum eiusmodi donationum, quæ siue à Principibus, siue à priuatis vtriusque sexus fieri solerent hominibus, in quibus eædem formulæ non legantur, & interdum atrociores: quæ quidem non sententiam continent (vt putant) excommunicationis Ecclesiasticæ, quę ab Episcopis infligi solet in subditos, sed imprecationes potius ad deterrendum eos, qui aliquid contra præscripta moliri tentarent. Sunt de his superius diuersis in locis in recitatis eiusmodi diplomatibus exempla patentia: quin etiam in eodem ab illis scripto codice aliæ diuersorum priuatorum, quæ ibi sunt scriptæ, locis piis factæ donationes continent easdem omninò imprecationes: vt liberum fuisse quibuscunque, videatur, eiusmodi apponere formulas imprecatorias anathematis aduersus eos, qui moliri aliquid aduersus ea, quæ illi statuerent, conarentur. Adde his insuper, non solum in eiusmodi scribi solitis diplomatibus asseri ista, sed etiam à nonnullis consueta

fuisse apponi sepulchris, vt violatores absterrerent. Quorum exempla habes superius recitata, vt inter alia sepulturæ Theodini subdiaconi : SI QVIS PRÆSVMPSERIT HVNC TVMVLVM VIOLARE, ERIT ANATHEMATIS VINCVLIS INNODATVS. Et in Ecclesia sãti Gregorij Romæ ad Cliuũ Scauri erat in abside, fracto tamẽ lapide, cuiusdam Anastasij Lectoris epithaphiũ, in cuius fine habetur:

SI QVIS HINC ABSTVLERIT SEPVLCHRVM, SIT EXCOMMVNICATVS ET DAMNATVS IN INFERNVM, ET HABEAT PARTEM CVM CAIN ET IVDA TRADITORE. Et in principio Tomi huius in epitaphio sepulchri cuiusdam Ioannis in fine: NEMO SVVM, NEC ALIENVM CORPVS SVPER ME MITTAT. QVOD SI HOC PRÆSVMPSERIT, SIT MALEDICTVS, ET IN PERPETVVM ANATHEMATE CONSTRICTVS. En vides, an ista ex functione legationis Apostolicæ ponerentur à Regibus vt anathema, vel potius imprecationes ad terrorem ab vnoquoq. pro arbitrio in qua vellent prohibitione vsurpari solerent.

Sed inspiciamus cetera, quę ad roborandam

randam iam ſua ſponte collabentem Monarchiam afferunt. Abbatis Panormitani celebris canonici Iuris interpretis ſententiam deſcriptam proferunt in ſuo ipſorum Monarchiæ libro, quæ eſt: *Liceat Regi ex longa conſuetudine appellationes eorum, qui ad Sedem Apoſtolicam prouocant, impedire.* Quam tamen poſteà dicitur declaraſſe, vt intelligi debeat, quando non eſſet tutus acceſſus ad Apoſtolicam Sedem, vel tempore ſchiſmatis, tunc Regi licere de appellationibus ad Apoſtolicam Sedem cognoſcere: ſicque reſpõdiſſe Abbatem tempore Alphonſi Regis ſub Martino Papa Quinto, cui Rex valde eſſet infenſus. Cuius declarationis exemplum non ſcribitur in dicto Monarchiæ libro, ſed reperitur in Abbatia dicta Nouæ lucis in eodem regno poſita, & in aliquibus aliis monaſteriis.

Abbas Panor. in auctoritatem adducitur.

At tanti æſtimantur reſpõſa prudẽtis, vt illa in legem accipiantur, qualiacũque ſint? eo præſertim tẽpore, cũ idẽ Abbas Panormitanus colligeret cum ſchiſmaticis aduerſus Catholicę Sedis Antiſtitẽ? quis vnquã aduerſus Eccle-

Rex Alphon. Monarchiæ inſtiutor.

siã testimoniũ accepit hostis Ecclesiæ? Si ista sapuit, imò si sic desipuit Abbas; quomodo in cõmẽtariis, quos elaborauit, & edidit, ista non defendit, atque probauit?

Addunt prçtereà Alphonsi Regis eiusdem exempla, quod eiusmodi ad Papam impediret appellationes. At quid? Num erunt accipienda pro lege, quæ Rex contra id quod iurasset periurus, percitus furore facere aliquando voluisset? dum & petentibus, & rogantibus Siculis, ne appellationes ad Apostolicam Sedem eiusmodi (quod Rex facere cœperat) per magistratus laïcos cognoscerentur, sed per Ecclesiasticos Prælatos potius: Rex eorum petitionibus annuit, datis anno Domini millesimo quadringentesimo quadragesimo sexto de hoc litteris. Cuius petitionis extat exemplum, & legitur ibidem Rescriptum Regis periuri. At quænam fortiora contra Alphonsum Regem afferri possunt, quam diplomata eiusdem Regis, cum inuestituram accepit ab Eugenio Papa quarto, datã anno superiori à dicto Rescripto, nempe millesimo

quadringẽtesimo quadragesimo quinto? Extat in Vaticana bibliotheca inuestituræ ei ab Eugenio Papa Quarto factæ exemplar in libro priuilegiorum Romanæ Ecclesię, & alio codice, qui apud nos existit, quod sic incipit: *Cum sanctissimus dominus noster Eugenius diuina prouidentia Papa Quartus, anno à Natiuitate Domini nostri Iesu Christi millesimo quadringentesimo quadragesimo tertio, Idibus Iulij, Pontificatus sui anno tertio decimo, &c.* Vbi inferius ista habet de appellationib⁹ liberè dimittẽdis ad Apostolicã Sedẽ, præter alia multa de imunitate Ecclesiastica libera cõseruanda:

Omnesque etiam causæ ad forum Ecclesiasticum in regno, & terra prædictis pertinentes, liberè & absque vllo impedimento agitabuntur, tractabuntur, & ventilabũtur coram Ordinarijs, & alijs Ecclesiasticis iudicibus, & terminabuntur per eos. Et si ad Sedẽ Apostolicam super huiusmodi causis appellari contigerit; tam appellantes, quàm appellati ad eandem venire Sedem pro appellationum prosecutionibus liberè & absque inhibitione aliqua permittentur. Hæc ibi de appellationibus ad Sedem

Apostolicam liberè deferendis, per eũdem Regem solenni iuramento firmatis. Et quidem in Inuestitura facta de ipsa Sicilia & terra citrã Pharum, ratificata ab eodem Alphonso: cuius ratificationis hoc est exordium:

Ego Alphonsus Dei gratia Rex Siciliæ plenum homagium ligium & vassallagium faciens vobis domino meo Eugenio Papæ Quarto & Ecclesiæ Romanæ pro regno Siciliæ, & tota terra ipsius, quæ est citra Pharum vsque ad confinia, &c. In fine verò bullæ aureæ eiusdem Alphonsi Regis hæc de tempore dati diplomatis atque loco: *Datum Neapoli apud maiorem ecclesiam per manus nostri prædicti Regis Alphonsi, anno à Natiuitate Domini millesimo quadringentesimo quadragesimoquinto, die vero secunda mensis Iunij, octauæ Indictionis, regnorum nostrorum trigesimo, huius vero Siciliæ & terræ citra Pharum, anno regni vndecimo.* Hæc ibi. Quid igitur his aduersans citatur Rescriptum Alphonsi, datum anno sequenti, contentũ capitulo trecẽtesimo nonagesimo septimo, pag. cxxviii.? Nam ore suo periurus esse conuincitur atque præuarica-

tor; vt qui ea ipsa, quæ iuramento promiserat, rata habuerat; firmaueratque, peierando destruxerit, atque præuaricando impiè dissiparit. En quale instituendæ Principium Monarchiæ. Quod quidem nomen, quo significatur, sub vno eodemque dominio Regem Siciliæ, iunctam simul spititualem, ac secularem auctoritatem & potestatem, vt insolitum, nec vsurpatum fuisse à tyrãnis, manifestis Romanæ Ecclesię perduellibus, vt Friderico & eius filiis, neç ab inuasoribus eiusdem regni, vt Petro vel alijs, satis constat; cum tamen res ipsa sæpius per tyrannidem atque inuasionem fuerit pertentata; vt ex his quæ sumus dicturi patebit.

Si quis enim antiquiora abolenda vestigia eiusmodi Monarchatus curiosius indaganda putauerit, planè inueniet, non Vrbani, vel alterius alicuius Catholici Antistitis inuentum esse, sed (si coniecturæ aliquid deferẽdum) primum auctorem fuisse schismaticum Papam, non Christi, sed Antichristi Vicarium Petrum, Leonis, non Columbæ filium, eundemque contra Innocẽ-

Quis fuerit primus auctor Monarchatus Siciliæ.

tium Secundum legitimum Ecclesiæ Romanæ Pontificem ex aduerso sedẽtem, dictum pulchro nomine (vt sic deciperet populum) Anacletum. Iste enim, vbi Pontificatum arripuit violẽter, vt contra legitimum Pontificem, eiusque fautores præualere aliquo modo posset, quo minus iusta causa polleret, eo amplius potẽtia seculari sese studuit roborare, communireq. aduersus Romanos præsertim, quos erga Innocentium sciret esse procliues: magnoq. sibi fore existimans adiumẽto, si Northmannos, Northmannorúmque Principem sibi coniungeret; nihil prætermisit officij vel obsequij, quibus Rogeriũ, Rogerij superioris filium, qui tunc non Siciliæ tantum, sed dominaretur Apuliæ, atq. Calabriæ, conciliaret sibi amicum, & constitueret defensorem.

Quamobrem vbi Sedem inuasit, nihil antiquiùs habuit, quàm vt ad demerendum hominem eidem quæcunque præstaret; sicque eum ex Comite Regẽ constituit: cui & inter alia illud quoque concessit, vt sicut laïcis, ita & clericis, Abbatibus, Episcopis, & Archiepisco-

pis, qui in eius ditionis prouincijs esset, dominaretur, ac sic esset re ipsa, si non nomine, Monarcha vnus Christianorũ, vtriusque ordinis, laïcalis, & clericalis. Id quidem eiusdem temporis auctor, quique ea videbat quæ scripsit, testatur Petrus diaconus Cassinensis: qui tamẽ intentus rebus eiusdem monasterij cõscribendis, cetera obiter tãtum attigit, non tamen incognita prætermisit: deque his agens, hæc breuiter habet:[a] *Defuncto Honorio, electi sunt Gregorius diaconus Cardinalis sancti Angeli in Papam Innocentium & Petrus presbyter Cardinalis sancti Callisti in Anacletum. Anacletus autem aliquantulum tempus in Vrbe permanens cum Episcopis & Cardinalibus, qui suæ parti fauebant, ad ciuitatem Pisanam perrexit, Conradum Sabinensem Episcopum Vicarium in Vrbe relinquens.*

a Petr. diac. *Chron. Cass. lib.* 4. c. 99.

Petrus autem Cardinalis Rogerio Duci Apuliæ coronam tribuens, & per priuilegium Capuanum principatum, & Ducatũ Neapolitanum cum Apulia, & Calabria, & Sicilia illi confirmans, Regemque constituens, ad se attraxit, præcipiens vt Episcopi, & Abbates, qui in suæ ditionis solo ma-

Antipapa Architectus Monarchiæ.

nebant, ei obtemperarent. Hæc tantum de his Petrus, ad res Cassinates stylum reuocans. Qui quidem cum ista tantum ex omnibus, quæ in diplomate essent, expresserit: aliquid specialius indicasse voluit per ea verba, prętter communem ex Apostolicis iussis debitam Regibus obseruātiam; quod tacuit auctor æquæ schismaticus, nullam eundem laudādi Rogerium prætermittens occasionem, quem tamen S. Bernardus, cum opus fuit eius meminisse, absque regio titulo nominat tantum [b] Ducem Apuliæ, [c] tyrannum Siculum, atque vsurpatorem coronę regiæ. Sed & quænam fuerint ista singula, quibus Anacletus subiecit Rogerio vniuersum ordinem ecclesiasticum, planè intelliges, cum ea reuocata à Romanæ Ecclesiæ Pontificibus, recitanda inferius audies. Mercimonio igitur possidendæ Sedis, quam inuaserat Anacletus, ingressus in ouile ouium nonnisi vt fur, qui mactet & perdat, quælibet cuique petenti concedere consueuit, si promitteret, quod sibi in schismate inhæreret. Quod sancti Bernardi testantur epistolæ, [d] qui etiam de

b *Bern. ep.* 117. 129.
c *Id. epist.* 130. 139. 140.
d *Idem ep.* 126.

Rogerij nundinaria Monarchia hæc ad Guillermum Comitem Pictauiensem Aquitaniæ Ducem nomine Ducissæ Burgundiæ: a *Habet tamen*, Anacletus scilicet, *Ducem Apuliæ, sed solum ex principibus, ipsumque vsurpatæ coronæ mercede ridicula comparatum.* a *Id.* 117.

At ista adeò verisimilia eiusdem tẽporis Scriptoribus consignata vel non nouit, vel nosse dissimulauit ipse Fazellus, ne Monarchiæ auctorem (vt erat) pseudopapam assereret; qui vt ista sibi adeò aduersa vitaret, inextricabiles planè mendaciorum quæsiuit anfractus. Nam non solum ista de collata Rogerio ab Anacleto in ecclesiasticos potestate penitus tacuit; sed etiam ad ista vitanda, nequaquam vna cum Innocentii creatione simul ortum schisma Petri Leonis ponit (quod omnes absque cõtrouersia: siue veteres, siue recentiores affirmant) ipsumque schismaticum Papam Anacletum obortum, sed longè postea, nec antea, nisi vbi est auditus ipse Innocentius ab eodem Rogerio detineri captiuus. Hos sinuosos oportuit lubricum anguem excogitasse reflexus,

Fazellus noluit verũ Monarchiæ Siciliæ auctorem detegere.

ne ſi recta via ſerperet, in Antipapam ipſum offenderet, atque quod nollet, cogeretur aſſerere, Anacletum ipſi auctorem fuiſſe regni Monarchici, ex laïcis, clericiſque compacti. Vides Lector, quam malè meritus inueniatur de hiſtorica veritate Fazellus, nihil magis conatus, quam Monarchiæ vanæ fauẽdo eccleſiaſticam libertatem alta ſcrobe relinquere ſepultam, dum in eius fauorem non ſolum quod non eſſet omninò Vrbanum Papam vitiato diplomate eius demonſtrauit auctorem, ſed qui reuera dici potuiſſet eius inuentor Antipapa ille, Antichriſti ſucceſſor, miniſter ſatanæ, caput ſchiſmatis Anacletus, ne proderetur, ipſe adeò prodidit veritatem? Vt exhorreſcere quiſque Catholicus debeat ſub huius capitis membrum annumerari.

Atquid poſt hęc actum? niſi quod malè ortum, malum accepit occaſum, ex aduerſo ſententia illa Chriſti vigente, & in perpetuum feriente: [b] *Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus, eradicabitur.* Et inſuper quod præconiò diuinę ſapientiæ in Eccleſia iugiter in-

b *Matt.* 15.

tonatum Fidelium omnium aures pulsat: [c] *Adulterinæ plantationes, siue spuria vitulamina non dabunt radices altas, nec stabile firmamentum collocabunt. Et si in ramis in tempore germinauerint, infirmiter posita à vento commouebuntur, & à nimietate ventorum eradicabuntur: confringentur enim rami incõsummati, & fructus illorum inutiles & acerbi ad manducandũ, & ad nihilum apti.* Ita planè accidit, vt per falsum agricolam male plantata arbor infelix nequaquam altas radices emiserit, licet patrocinio Regũ aliquantisper frondescere visa sit. Etenim etsi peculiare Regibus sit, vt per fas & nefas semel parta amittere nolint, sed tueri velint, tamen non eo vsque contentio est progressa, vt non cesserint iussionibus Romanorum Pontificum, sed sicut Rogerius, qui accepit, ita Vuillelmus filius eius successor, licet ad tempus restiterit Hadriano Quarto Romano Pontifici, tamen eidem sunt in omnibus obsecuti. Testes omnium istorũ adducimus publica monimenta, hæc ipsa testantia, diplomata inquam Innocentij Papæ Tertij, seculi sequentis fine

c Sap. 4.

Cito deficit male plantata Monarchia Siciliæ.

conſcripta, quibus cũcta, quę facta ſunt in illam vſque diem, quam fideliſſimè elucidantur. Atque in primis ſatis apertè, fide integra intelligitur, quid in prima inueſtitura, facta Vuillelmo Rogerii filio, poſt eius obitum ab Hadriano Papa fuerit conceſſum in deſtructionem vanæ Monarchię, ...ani ſtudio per Antipapam Anacletum erectæ. Nam etſi illa ipſa facta ab Hadriano Vuillelmo inueſtitura non reperiatur, ſed tantum quæ petiit ab eo præſtari Vuillelmus, tamen quod extet inueſtitura Innocentii Papæ adinſtar illius facta, idem planè eſt, ac ſi ipſa Hadriani inueſtitura integra haberetur.

Hæc vt, Lector, accipias, ſcire debes Rogerium, qui talem Monarchiam accepit ab Anacleto, anno Redemptoris milleſimo centeſimo trigeſimo, perueniſſe ętate vſque ad annum milleſimum centeſimum quinquageſimum quartũ, ipſoque mortuo, filium ipſius Willelmum ſucceſſiſſe in paternum regnum, atque inueſtiturã quæſiſſe ab ipſo Hadriano eius nominis Quarto Romano Pontifice: cuius cauſa haud fuit leuiter

altercatum, expetente illo literis suis ab Hadriano inuestituram conditionibus valde iniquis, ac fortasse iisdē, quibus Rogerius pater regnum accepisset ab Anacleto. At licet Legati ab Hadriano ad eum pacis causa missi visi sint ex parte aliqua his, quæ petierat, concessisse: Hadrianus tamen omninò resiliit, nec inuestituram concedere voluit cū infamibus conditionibus illis, quibus Monarchia illa malè cōposita per schismaticū Papam subsisteret, sed aliis planè contrariis. Qualis autem ista fuerit, mox auditurus eris. Si quidem post tumultuarios Reges, absq; inuestitura regnantes, anno Redemptoris millesimo centesimo nonagesimo nono, cum Cōstantia Imperatrix atque Regina Siciliç, defuncto viro Henrico Imperatore, sibi, filioque paruulo Friderico inuestituram quæreret ab Innocētio eius nominis Tertio nuper creato Pontifice, concessit ille ipsis eam ad instar illius quam Vuillelmo Regi concesserat Hadrianus. Quod idem ipse Innocentius testatur in ipsius inuestiturç diplomate. A deò vt qui legerit idē Innocētii Papæ

De Hadriani Papæ inuestitura concessa Vuillelmo Regi.

diploma, quale illud fuerit olim ab Hadriano Vuillelmo Regi concessum, intelligat, & lectione vnius noscat vtrũque.

Quamobrem hic ipsum tibi describendum operępretiũ existimauimus. Extat ipsum in Registri Epistolarum Innocentii tomo primo, Romæ cuso anno Redemptoris millesimo quingentesimo quadragesimo tertio apud Priscianum Florentinum. Sic enim se habet: a

a Tom. 1. Regist. Innoc. ep. 412. lib. 1. pag. 203. 1.

Inuestitura concessa ab Innoc. Pap. constantiæ & filio.

Constantiæ Imperatrici gloriosæ Reginæ Siciliæ, ac charissimo filio Friderico, illustri Regi Siciliæ, eorũque hæredibus in perpetuũ.

Super gentes, & super regna diuina prouidentia constituti, vt euellamus noxia, & salubria cum Propheta plantemus: sic ad vniuersas prouincias nostras considerationis aciem extendere volumus; & circa eas piæ sollicitudinis studium exercere, vt sopitis turbinibus tempestatum, quas parit mater diuersitas, seruent ad inuicem mutuæ charitatis affectum. Porrò specialiter, & præcipuè speciale ac præcipuã sollicitudinem circa regnũ Siciliæ nos cõuenit adhibere, quod in Apostolicæ Sedis feruẽtius hactenus deuotione permãsit. Ad quod etiã inclytæ recordationis Rogerii quõdã patris Vuillelmi fra-

tris, & Vuillelmi nepotis tuorũ Regũ Siciliæ, filia Imperatrix, grata memoria nos inducit, qui in Apostolicæ Sedis, ac prædecessorum nostrorum dilectione firmi⁹ persistẽtes, ab eius non potuerunt vnitatis firmitate diuelli, quin tanto fortius in ipsius obsequio permanerent, quanto aduersus eam se amplius impetus extolleret tempestatis.

Hac igitur consideratione diligenter inducti, ac credentes, quod prædictorum Regum vestigia regia serenitas in deuotione ac obsequiis imitetur: vobis & hæredibus vestris (qui, sicut dictus Rex Vuillelmus quondam frater tuus felicis memoriæ Hadriano Papæ prædecessori nostro exhibuit, nobis & successoribus, & Ecclesiæ Romanæ fidelitatem & hominum exhibere, ac quæ subscribuntur voluerint obseruare) concedimus regnum Siciliæ, Ducatum Apuliæ, principatum Capuæ cum omnibus pertinentiis suis, Neapolim, Salernum, Amalphiam cum pertinentiis suis, & alia quæ vltra Marsiam habere debetis, & reliqua tenimenta, quæ tenetis, à prædecessoribus vestris, hominibus sacro-sanctæ Romanæ Ecclesiæ iure detenta, & contra omnes homines adiuuabimus honorificè manu

tenere.

Capitularia mutuo consignata.

Pro quibus omnibus coram venerabili fratre nostro Ottone Episcopo Ostiensi, Apostolicæ Sedis Legato, quem ad iuramentũ tuum, filia Imperatrix, recipiendum transmisimus, fidelitatem nobis, nostrisque successoribus, & Ecclesiæ Romanæ iurasti, sicut continetur in duobus similibus Capitularibus, quorum vnum penes te sigillo nostro, alterum penes nos sigillo tuo signatum habetur, firmiter repromittens, quod quia præsens præsenti hominium debet exhibere: quandocunque nos & successores nostri te in aliqua parte regni, quam securè possis adire, ad nostram præsentiam vocauerimus, reuerenter accedes hominium præstatura, nisi certum impedimentum, aut necessitas euidens interueniat: quibus cessantibus, sine fraude venias ad ligium hominium faciendum. Cum autem tu, fili Rex, fauente Domino, ad legitimam ætatem perueneris: nobis ac successoribus nostris, ac Ecclesiæ Romanæ fidelitatem, & ligium hominium exhibebitis. Censum vero sexcentorum squifatorum de Apulia & Calabria, quadringentorum verò de Marsia, vel æquiualens in auro, vel argento vos ac hæredes vestros

statuistis

ſtatuiſtis Eccleſiæ Romanæ ſoluturos, niſi forte impedimentum aliquod interueniat, quo ceſſante cenſus integer perſoluetur.

Electiones autem ſecundum Deum per totum regnum canonicè fiat de talibus quidem perſonis, quibus vos ac hæredes veſtri requiſitum à nobis præbere debeatis aſſenſum.

Vt autem hæc quæ ſupra diximus, tam noſtro, quam ſucceſſorum noſtrorum tempore perpetuam obtineant firmitatem, nec veſtris, nec hæredum veſtrorum temporibus alicuius valeant præſumptione turbari: nos ea de conſilio & voluntate fratrum noſtrorum auctoritate Apoſtolica confirmamus, & valitura in perpetuum præſenti pagina communimus, & tam à nobis, quam à ſucceſſoribus noſtris, perpetuis temporibus ſtatuimus obſeruanda. Nulli ergo, &c. Vſque ad verbum, *Indignationem incurrat: ream ſe diuino Iudicio de perpetrata iniquitate cognoſcat, &c.* In modum priuilegij: *Cunctis autem prædicta ſeruantibus, &c.* Ita in codice edito, ſicque nulla prorſus mentio, vt conceſſerit Regi, quæ reuera ab Antipapa Rogerius obtinuiſſet, vel ab Vrbano Papa per mutilatum il-

lud diploma afferitur consecutus. Sed ista sunt reuera (vt audisti) quę Innocentius Constantiæ & Friderico filio concessit, pręter hæc autem nihil. Quęnam autem in duobus illis, quorum meminit Innocentius Papa, Capitularibus continerentur, proximè auditurus eris, vbi prius dixerimus, quomodo his (vt vidisti) firmiter constitutis, nouæ petitioni Constantiæ idem Innocentius adhuc satisfaciendum putauit, nimirum, vt quę ieiunè nimis de electionibus faciendis in diplomate recitato continerentur, paulò fusius ab eodem Pontifice explicarentur. Cum ei annuens idem Pontifex, diploma, quod ordine sequitur, scripsit, quod incipit: [a] *Nec nouum, nec iniustum existit, &c.* Vbi inferius hęc de electionibus cõtinet:

a *Innoc. lib.* 1 *ep* 413. *pag.* 204. 2.

De electionibus faciendis.

Quantum cum Deo, & nostra possumus honestate, deferre velimus salua iustitia, & ecclesiarum canonica libertate, petitionibus vestris assensum facilem exhibere. Ne igitur vlla de cetero inter nos & successores nostros, & vos & hæredes vestros super electionibus dissensio suscitetur, modum faciēdæ in posterum electionis præsentibus cura-

uimus litteris explicare: in quibus sic in multis regiæ serenitati deferimus, vt libertatem Ecclesiæ non lædamus.

Sede vacante, Capitulum significabit vobis & vestris hæredibus obitum decessoris: deinde conuenientes in vnum, inuocata Spiritus sancti gratia, secundum Deum eligent canonicè personam idoneam, cui requisitum à vobis præbere debeatis assensum, & electionem factam non different publicare. Electionem verò factam, & publicatam denuntiabunt vobis, & vestrum requirent assensum. Sed antequam assensus regius requiratur, non intronizetur electus, nec decantetur laudis solennitas, quæ inthronizationi videtur annexa. Nec, antequam auctoritate Pontificali fuerit confirmatus, administrationi se vllatenus immiscebit. Sic enim honori vestro volumus condescendere. vt libertatem canonicam obseruemus, nullo prorsus obstante Rescripto, quod à Sede Apostolica fuerit impetratum. Hæc de electionibus faciendis. Quæ omnia seorsum, datis litteris Apostolicis, idem Innocentius Papa innotescenda curauit omnibus Archiepiscopis, & Episcopis, atque vniuerso deniq. inferiori Clero

Siciliæ regni. Quas litteras, quod contineant illa etiam, quæ in assertis superius Capitularibus scripta erant, hæc tibi verbatim curauimus describendas. Sic se habent:

Archiepiscopis, Episcopis, & aliis ecclesiarum Prælatis, & vniuerso Clero in Sicilia constitutis.

Innocentii Pap. literæ Apost. ad Siciliæ Episcopos.

Si charißimæ in Christo filiæ nostræ Cōstantiæ Imperatrici Reginæ vnà cum chariß imo filio illustri Rege Siciliæ in multis gratiam fecimus specialem: non est ab aliquibus in admiratione ducendum, cum regnum Siciliæ ad ius & proprietatem Ecclesiæ Romanæ pertineat, & in eius fidelitate perstiterit, ac permanserit vnitate. Nostis enim, qualiter inclytæ recordationis Rogerius, VVillelmus, & VVillelmus Siciliæ Reges illustres in Apostolicæ deuotionis ferè semper permanserint firmitate; qualiter prædecessores nostros fuerint humiliter venerati; qualiter etiam in Ecclesia Romana post Deum suæ spei posuerint & gaudij fundamentum, & in ea, & per eam se crediderint exaltari. Nostis etiam, qualiter prædecessores nostri Romani Pontifices Reges ipsos, ac regnum Siciliæ quadam semper præ-

rogatiua dilexerint, & ad augmentum ipsius, vtpote quod peculiare, sicut est, & proprium reputabant, intenderint & quietem. Quia verò quantumcunque velimus eorum honori deferre; libertatem canonicam & honestatem ecclesiasticam intendimus obseruare. Ne igitur vlla de cetero inter nos, & successores nostros, & prædictam Imperatricem & eius filium, Siciliæ Regem illustrem, vel hæredes eorũ super electiones denuò dissensio suscitetur, quæ hactenus inter Ecclesiam & regnum rancoris cuiusdam & indignationis comitem ministrabant: modum faciendæ in posterum electionis, præsentibus curauimus litteris explicare; in quibus sic regiæ serenitati deferimus, vt libertatem ecclesiasticam non lædamus. Sede vacante Capitulum &c. Prout in superioribus litteris, ad Constantiam & filium datis sunt descripta de electionibus faciendis. Quibus recitatis, vel ex parte, quæ ad rem spectarent, sic pergit describere quę superius nominauit Capitularia:

Ideoque vniuersitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, & districtè præcipimus, quatenus cum aliquam ecclesiarum

vestrarum vacare contigerit, secundum præscriptam electionis formam, omnia gratia & timore postpositis faciatis nec contra eam aliqua presumptionis occasione venire. Alioquin electione taliter facta, diligenti discußione præhabita, dante Domino infirmare curabimus, & eligentium transgreßionem animaduersione debita castigare.

Capitularia contra Monarchiam Siciliæ.

Volumus etiam nihilominus, & mandamus, vt de cetero ad Romanam Ecclesiam liberè, cum opus fuerit, appelletis, & interpositis ad nos appellationibus, curetis humiliter & deuotè deferre.

Nos etiam quoties neceßitas postulauerit, Apostolicæ Sedis Legatos ad vos curabimus destinare, qui, quæ plantanda sunt plantent, & euellant quæ fuerint euellenda: quorum obediatis monitis & præceptis: nullo prorsus in omnibus præscriptis capitulis obstante priuilegio, quod à Sede Apostolica fuerit impetratum.

Vt autem quæ præscripta sunt, apud vos nulla poßint obliuione deleri, mandamus atque præcipimus, quatenus forma litterarum ipsarum ad perpetuam memoriam in maioribus ecclesiis transcripta seruetur. Posthęc

in codice ista subduntur.

In eundem modum Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus & vniuerso Clero in Apulia constituto. Scriptum est scilicet. Atque hactenus Capitularia, primum (vt audisti) ab Hadriano Papa præscripta VVillelmo Rogerij filio, deinde ad instar illius concessionis ab Innocentio repetita in inuestitura facta Constantiæ & filio Friderico, quibus quæ concessisset Vrbanus de non mittendis Legatis, & alijs, audisti sublata.

At ne quis putet, eundem Fridericũ adhuc puerum inuitum his consensisse, puberem verò factum resilijsse: hic describendam putamus Auream bullam, quam post annos quatuordecim, népè Redemptoris millesimo ducentesimo decimotertio dedit, acceptam ipsam ex libro priuilegiorum Romanæ Ecclesiæ, quam etiam scriptã inuenimus in alio codice, qui inscribitur liber Censuum, hisce verbis: Bulla aurea Friderici contra Monarchiam.

In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis Amen. Fridericus diuina fauente clementia Romanorum Rex, & semper Augustus & Rex Siciliæ.

Regnum nostrum tunc stabiliri confidimus, cum Altissimum, de cuius manu ea quæ possidemus, bona recepimus, honoramus. Tanto enim Domino, qui bona tribuit nobis, ad offerendas hostias operis & deuotionis astringimur, quantò ipsum misericordem in nobis & mirabilem experimur. Cognoscentes igitur gratiam, quæ data est nobis ab ipso: habentes quoque præ oculis immensa & innumera beneficia vestra, domine & reuerendissime pater, protector & benefactor noster, domine Innocenti, Dei gratia summe Pontifex venerande, per cuius beneficium, operam & tutelam aliti sumus, protecti pariter & promoti, postquam in sollicitudinem nostram mater nostra felicis memoriæ Constantia Imperatrix & Siciliæ Regina ex ipso quasi vtero nos iactauit: vobis, beatissime pater, & omnibus successoribus vestris Catholicis, sanctæque Romanæ Ecclesiæ speciali matri nostræ omnem obedientiam, honorificentiam, atque reuerentiam semper humili corde, ac deuoto spiritu impendimus, quam prædecessores nostri Reges & Imperatores Catholici vestris antecessoribus impendisse noscuntur: nihil exinde volentes diminui, sed magis augeri, vt

maior deuotio enitescat.

Illum igitur volentes abolere abusum, quem quidam prædecessorum nostrorum exercuisse dignoscuntur, decretum in electionibus Prælatorum: concedimus, & sancimus, vt electiones Prælatorum liberè & canonicè fiant, quatenus ille præficiatur Ecclesiæ viduatæ, quem totum Capitulum, vel maior & sanior pars ipsius duxerit eligendum, dummodo nihil desit ei de canonicis institutis.

Appellationes autem in negotiis & caussis Ecclesiasticis ad Sedem Apostolicam liberè fiant; earum persecutionem siue processum nullus impedire præsumat.

Illum quoque dimittimus & refutamus abusum, quem in occupandis bonis decedentium Prælatorum, aut etiam Ecclesiarum vacantium nostri consueuerunt antecessores committere pro motu propriæ voluntatis. Omnia nos spiritualia vobis & aliis Ecclesiarum Prælatis relinquimus liberè disponenda, vt quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ Dei Deo recta distributione reddantur.

Super eradicando autem hæreticæ prauitatis errores auxilium dabimus & operam efficacem.

Poſſeſsiones etiam, quas Eccleſia Romana recuperauit, ab anteceſſoribus noſtris, ſeu quibuſlibet aliijs ante detentas, liberas & quietas ſibi dimittimus, & ipſam ad eas obtinendas bona fide promittimus adiuuare. Quas verò nondum recuperauit, ad recuperandum erimus pro viribus adiutores: & quæcunque ad manus noſtras deuenient, ſine difficultate ac mora eas reſtituere ſatagemus. Ad has pertinet tota terra, quæ eſt à Radicofano vſque Ceperanum, Marchia Anconitana, Ducatus Spoletanus, terra Comitiſſæ Mathildis, Comitatus Bertinorij, Exarchatus, Rauennæ, Pentapolis, Maſſa Trebaria cum adiacentibus terris, & omnibus alijs ad Romanam Eccleſiam pertinentibus cum omni iuriſdictione, diſtrictu, & honore ſuo.

Veruntamen cum ad recipiendum coronam Imperij, vel pro neceſsitatibus Eccleſiæ ab Apoſtolica Sede vocati venerimus, de mandato ſummi Pontificis recipiemus procurationes ſiue Fodrum ab ipſis. Omnia igitur ſupradicta, & quæcunque alia pertinent ad Romanam Eccleſiam, de voluntate & conſcientia, conſilio & conſenſu Principum Imperij liberè illi dimittimus, renun-*

*feudum.

tiamus & restituimus; necnon ad omnem scrupulum remouendum, prout melius valet & efficacius intelligi, concedimus, conferimus, donamus, vt sublata omnis contentionis & dissensionis materia; firma pax & plena concordia in perpetuum inter Ecclesiam & Imperium perseuerent.

Adiutores etiam erimus ad retinendum, & ad defendendum Ecclesiæ Romanæ regnum Siciliæ, cum omnibus ad ipsum spectantibus, tam citra Pharum, quam vltra, necnon Corsicam & Sardiniam, ac cetera iura, quæ ad eam pertinere noscuntur, tanquam deuotus filius & Catholicus Princeps.

Vt autem hæc omnia memorato sanctissimo patri nostro domino Innocentio, sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ summo Pontifici, eiusque successoribus per nos & nostros successores Romanorum Reges & Imperatores obseruentur, firma & inconuulsa semper permaneant; præsens priuilegium conscriptum, maiestatis nostræ aurea bulla iussimus communiri. Testes autem sunt hi.

Sigefredus Moguntinus Archiepiscopus, Sedis Apostolicæ Legatus.

Eberhardus Solisburgensis Archiepiscopus.

Conradus Ratiſponenſis Epiſcopus.
Otto VVirzburgenſis Epiſcopus.
Manegoldus Potauienſis Epiſcopus.
Engerardus Ziſenſis Epiſcopus.
Giadiacus Bohemorum Rex.
Ludouicus Dux Bauariæ.
Leopoldus Dux Auſtriæ & Styriæ.
Hermannus Lanthgrauius Turingiæ.
Comes Albertus de Eberſtein.
Comes Adolphus de Sonneberch.
Comes Burchardus de Manneſu edel.
Berardus Bers Comes.
Ludouicus de VVirtemberg.
Gebehardus Buſclauius Magdeburgẽſis.
Henricus de Stahenuuerch.
VValterus de Langenberg.
Henricus de Calandina.

Mareſchalcus Imperij VValterus, & Sepf. pincerna Imperij, & alij quamplures.

Signum domini Friderici Secundi Romanorum Regis inuictiſsimi, & Regis Siciliæ. * *Loco ſigilli.*

Ego Conradus Dei gratia & Apoſtolicæ Sedis Metenſis & Spirenſis Epiſcopus, Imperialis aulæ cancellarius vice domini Sigefridi Moguntini Archiepiſcopi, & Apoſtolicæ Sedis Legati, ac totius Germa-

nia Archicancellarij recognoui.

Acta sunt hæc anno Domini nostri Iesu Christi millesimo ducentesimo decimo tertio, Indictione prima, regnante domino Friderico Secundo Romanorum Rege glorioso, & Rege Siciliæ, anno regni eius Romani primo, regni verò eius Siciliæ decimo sexto.

Datum apud Egram per manus Bertholdi de Nife, regalis aulæ Protonotarij, quarto Idus Iulij.

Rursum verò post ānos sex huic per omnia similem Auream bullam dedisse reperitur Honorio Papę Tertio, totidem verbis conceptam, quæ in nominatis codicibus extat: in qua post testes descriptos hæc leguntur:

Acta sunt hæc anno Incarnationis Domini millesimo ducentesimo decimo nono, mense septembris, Indictione octaua, regnāte domino Friderico Secundo Romanorum Rege glorioso, regni ipsius in Germania sexto, & in Sicilia vigesimo secundo feliciter. Amen. Friderici confirmatio facta Honorio III.

Datum apud Agnou. per manus Henrici regalis aulæ Protonotarij, anno, mense & Indict. præscriptis. Idemque in edicto, quod promulgandum curauit die, qua

ab eodem Honorio coronatus est Imperator, hæc primo loco seruanda præcepit his verbis:

Nos Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator & semper Augustus hac edictali lege irritamus, & præcipimus irritari omnia statuta, & consuetudines, quæ ciuitates, vel loca, potestates, Consules, vel quæcunque aliæ personæ contra libertatem Ecclesiæ, vel personas Ecclesiasticas edere, vel seruare tentauerint aduersus canonicas, vel Imperiales sanctiones. Et ea de Capitularibus suis infra duos menses post huiusmodi publicationem edicti penitus aboleri, &c. Plura alia eodem edicto sanciens in fauorem Ecclesiasticæ libertatis. Est inter Honorij Papę Epistolas libro quinto Epistola quadringentesima octogesima tertia. Hęc quidem Fridericus in destructionem male erectæ à Rogerio, vel eius filio VVillelmo cognomento, Malo, Monarchiæ Siciliæ.

Verùm non tantum hæc in regno Siciliæ, sed quidquid per vniuersam Italiam per dominos & magistratus præsumptum esset contra ecclesiasticam libertatem, idem Fridericus anno Do-

mini millesimo ducentesimo vigesimo abrogandum curauit, Constitutione hac edita:

Fridericus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, & Rex Siciliæ, Potestatibus, Consulibus ac Comitibus vniuersorũ Comitatum, & Castrorum Italiæ.

Alia const. Frid. pro Eccl. libertate.

Cum diuæ memoriæ Imperatores Romani sacrosanctam Ecclesiam multiplici libertate dotarint: nos disponẽte Deo, à quo est omnis potestas, ad fastigium culminis Imperialis electi, quæ piè ab illis, & à sanctissimæ Sedis Præsulibus pro statu ecclesiarum, & ecclesiasticorum virorum sunt edita, conseruare volumus inconcussa; & illis contraria, sicut ad nos spectare dignoscitur, amputare. Cum igitur ad aures celsitudinis nostræ peruenerit, nonnullos vestrum cupidine cæca seductos quædam detestãda edidisse statuta præiudicantia ecclesiasticæ libertati, ac diuino & humano iuri obuiantia: manifestè nos ea tanquam de radice prauitatis hæreticæ prouenientia, auctoritate præsentium cassamus sub pœna mille marcharum, districtius inhibentes, ne quis vestrum illis de cetero inhærere præsumat, aut eorum prætextu ecclesias & ecclesiasticos viros contra sanctiones

canonicas & legitimas molestare. Quinimmo ea de nostris Capitularibus, seu breuiarijs condemnata penitus abolentes, ecclesias & ecclesiasticas personas permittatis indulta sibi libertate gaudere, si vultis pœnam effugere prænotatam, & indignationem regiam euitare. Datum in castris apud sanctum Leonem, anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo, Indictione octaua, Kalendis Octobris. Hæc in libro collectionis Nicolai de Aragonia, qui in Vaticana bibliotheca seruatur sub numero CCCCXCVIII.

At dicet aliquis, eundem Fridericũ post hæc in acerbissimum tyrannum conuersum Ecclesiam oppugnasse; hęcque omnia operibus destruxisse. Attamen certum est, nullius fuisse roboris, quæ sibi absque consensu Romanæ Sedis Pontificis tyrannicè vendicauit. Cum enim quid sibi iuris Rex arrogat in ecclesias non concedente Pontifice, nullatenus id posse subsistere, & nullius penitus esse momenti, quis ignorat? Cũ alioquin idem Fridericus conuersus in arcum prauum, effectus pręuaricator eorum, quæ tot publicis monimentis sanctè

ſanctè piéque ſtatuerat, primum ſub Gregorio Nono, vt ab excommunicatione abſolueretur, ſcriptis publicis iteratis omnino correxit. Extant ipſa in Regiſtro eiuſdem Gregorij Noni, data anno Domini milleſimo ducenteſimo trigeſimo, mēſe Iulij, Indictione tertia, apud ſanctum Germanum. Inde verò eundem iterum rerum Eccleſiæſtatum in Sicilia perturbantem, his ad eum litteris datis compeſcuit idem Gregorius:

Aſcendit ad nos clamor, vlulatus & ſtridor, miſerabilis, validus & horrendus eccleſiarum & clericorum regni Siciliæ & Apuliæ, quod in eos vltra, quam de facili exprimi valeat, iniquè deſæuiens, ipſos affligis cruciatibus infinitis, bona eorum diripiens & extorquens, in manifeſtam contumeliam Redemptoris, & atrocem iniuriam Eccleſiæ generaliter, vt taceamus Apoſtolicæ Sedis contemptum, in quam cadunt ex hoc opprobria exprobrantium. Cū igitur hæc nequeamus ſine periculo ſuſtinere, qui Chriſti Vicarij licet immeriti conſtituti pro tuenda iuſtitia, & defendenda eccleſiáſtica libertate tenemur, & volumus impendere noſmetipſ

Greg. IX vindex acerrimus violatæ Eccles. libertatis in Sicilia.

ſos, ab eo nobis digna viciſſitudine rependenda, qui beatificat tribulationem propter iuſtitiam patientes. Imperialem celſitudinẽ tuam monemus & hortamur attentè, quatenus eccleſiis & perſonis eccleſiaſticis ablata reſtituens integrè vniuerſa, ab illorum moleſtatione penitus conquieſcas, famæ tuæ conſulens & ſaluti. Alioqui ne contra Deũ homini deferamus, ſuper hoc procedemus, dante Domino, ſicut fuerit procedendum. Ad hoc autem dilectos filios B. & R. fratres minores ad te mittimus, ſi forſitan ſaltẽ ſerò ſalubriter monitionibus noſtris aures aperias, quas hactenus nimium inconſultè clauſiſti. Datum Reate Nonis Maij, Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Fuit autem ex his & alijs ab eo perperam factis idem Fridericus ab eodem Pontifice excommunicatus, abſolutus autem, cum ea omnia emendare promiſit, vltore exiſtente non ſolum, quæ in Eccleſiam & perſonas, iuraq. eccleſiaſtica deliquiſſet; ſed & in laicos ipſos, miſerabiles perſonas, pupillos & viduas immò & omnes homines nobiles ſiue ignobiles perpetraſſet: vt apparet ex capitibus, quæ, vt abſolueretur idem

Fridericus, eſt pollicitus obſeruare. Scripta illa anno Domini milleſimo ducenteſimo trigeſimo, Indictione tertia, menſe Iulij.

Rurſum verò longè prolixiori[a] epiſtola in eum inuehitur, cum iura Eccleſiæ ſibi iniquè impiéque vſurpat. Vt planè intelligas, exhorruiſſe Romanos Pontifices, vindicare ſibi Reges quæ eſſent Eccleſiæ, in eoſdemque vigore ſacerdotali inſurrexiſſe, pariterque damnaſſe.

a Greg. ix. anno Pont. x. ep. 253.

At Fridericus ipſe, licet aliquandiu auerſione contentioſa reſtiterit monēti Pontifici, tandem vltimo elogio, teſtamento condito, nullius decreuit eſſe momenti, quæcunque contra libertatē eccleſiaſticam ſtatuiſſet. Habentur autem eius teſtamenti præcipua capita recitata à Matthæo Paris in Annalibus ſui temporis, in quibus hæc inter alia: *Item relinquo totam terram Eccleſiæ liberā, & volo quod iura Eccleſiæ reſtituātur &c.* Sicque iuxta illud[b] propheticū de inimicis Eccleſiæ: *Sanctifica illos in die occiſionis.* Hoc impio tyranno magna Dei miſericordia conceſſum, vt nouiſſimo

b Ierem. 12.

elogio, quę pij Principis essent, præstare posset.

Monarchia Siciliæ penitus dissipata.

Vidisti Lector ex his, omnem illam molem aëream Monarchiæ penitus corruisse, quæ non, vt fingunt, concedente Vrbano Papa, sed pseudopontifice Anacleto, Rogerio, absque fundamento super arenam, nullo sibi glutino cohærens, malè composita fuit. Cuius hic ex parte quandam repræsentamus imaginem.

Reperitur, quod Rogerij huius primi Regis temporibus nō in Sicilia modo, sed etiam in Apulia, ceterisque eius regni prouincijs Episcopatus per regios codicillos conferebantur, vt declarat Roberti eiusdem Regis Cancellarij exemplum apud Ioannem Sarisberiensem.[c] Narrat enim, Robertum hunc ecclesiam Auellanam, tunc fortè vacātem tribus diuersis, qui oblato pretio eam expetebant, per simulatam speciē addixisse, ac deinde quartum quendam nec opinantem, illis reiectis, cōsecrandum curasse. Quæ quidem per successores legitimos Romanos Pontifices, præsertim verò per Innocentium Ter-

c Lib. 7. Policr. cap. 19.

tium, cuius de horum abrogatione extant diplomata, abroganda fuerũt. Sed per Hadrianum Papam ista postea fuisse sublata, cum concessit inuestituram Guillelmo Regi Rogerij filio, ita declarat Robertus [a] Abbas in additamento ad Sigebertum his verbis: *Cum Papa Hadriano pacem fecit, concedendo ei consecrationes Episcoporum regni sui & Ducatus, sicut antiquitus eas habuit Ecclesia Romana, vnde discordia fuerat inter patrẽ suum Rogerium & Innocentium & Eugenium Romanos Pontifices. Idem verò Apostolicus concessit ei regnum Siciliæ & Ducatum Apuliæ & Principatum Capuæ.* Porrò ista cum alijs ab Antipapa Anacleto fuisse concessa Rogerio, quis poterit dubitare, cum aliundè accepisse, dici non possit, laborantibus in contrarium omnibus antecessoribus Pontificibus Romanis, & in hoc ipsum vsque ad mortem insistentibus, vt ista à laicis Principibus malè vsurpata in pristinum vsum atque libertatem Ecclesiasticam reuocarent?

a. *In add. Sigeber. an.* 1157.

Verùm liquet tot Romanorum Põtificum, potissimum verò Innocentii,

imò & contrariis edictis Siciliæ Regũ; eandem iam solo æquatã iacuisse prostratam, imò potius veluti absorptam terræ chasmate, nullatenus vel in ruinis aliqua eius superfuisse vestigia, sed & in anathema obliuionis sub dira illa maledictionis sententia constitutam:[b] *Maledictus vir coram Domino, qui suscitauerit & ædificauerit ciuitatem Hiericho.* Cuius muri in altum erecti, Arca Domini circumducta; intonantibus tubis sacerdotalibus, corruerunt. Vbi ergo quod posuerunt recẽtiores Siculæ Monarchię fundamentum, Vrbani Papæ diploma? nonne oportuit, si ita fuisset aliquando, ea tanta totius eius molis ruina, tàm Pontificia auctoritate, quã regia potestate remansisse sepultũ, tot contrariis editis scriptis tũ ab ipso Põtifice, tum etiam à dominantibus Principibus ipsis aduersus omnes quascunque Ecclesiasticorum iurium oppressiones? Quid si aliis adhuc pluribus ostendemus, & Pontificiis atque regiis publicis documentis eadem ipsa cõtra ecclesiasticam immunitatem rediuiua funesta decreta, fuisse mox sui ortus

b. *Ios.6.*

principio condẽnata, penitusque rescissa, vt nihil fuerit in Ecclesia adeò vigilantissimo studio pertractatum, vel propensissima solertia agitatum, curatumque, quam hoc ipsum, ne quid iniuria Principum, præter ius fasque cuncta sibi sumentium, aduersus antiquam à Patribus acceptam, legibus custoditã Ecclesiasticã libertatem emergeret.

Quod igitur rem semel aggressi, ingressique latissimum campum, qui finibus suis tempora nostra pertingat, quibus sæpe deiecta, penitusque disiecta eiusmodi Monarchia, auctoritate prætensa eiusdem Vrbani Papæ diplomatis reuocatur in vsum: eo vsque progredi, licet inuiti compellimur: ita tamen, vt compendiaria via prolixum nimis conficiamus iter, per quod simus maiori otio, longiori mora, commodioribus mansionibus, ipsa scriptione Annalium annos singulos singulis stationibus metientes, iterum transituri. Attingemus enim tantum ea, & quàm breuissime possumus, quæ ad institutũ semel susceptum spectare noscuntur, nimirum quoties istiusmodi perosam

Monarchiam restituere sint agressi Siciliæ Reges, eamque disiecerint sacris legibus Romani Pontifices, ac Reges ipsi, dum singulis concessis inuestituris voluerunt in omnibus esse consultum Ecclesiasticæ immunitati, inferemusque ipsum rerum vsum: quibus perspicua luce perspectis, Lector cuncta quæ ad hæc spectant, habeat explorata.

Studium Roman. Pontif. in conseruandis Eccl. iuribus.

Primum verò summatim illud sciẽdum omnes Romanos Pontifices, vsque ad tempora Caroli Quinti inuestituras consueuisse conferre, tàm Sicilię regni positi vltra Pharum, quam etiam Siciliæ (sic eam libuit appellare) citra Pharum, sæpe coniunctæ aliquando verò distinctè ab inuicem: in omnibus verò inuestituris istis, magna consideratione consultũ in primis Ecclesiasticę immunitati, quibusdam semper præscriptis capitibus ad ista spectantibus, iisdemque per Reges accipientes easdẽ inuestituras subscriptis, atque iuramẽto firmatis: quorum omnium gestorũ adhuc integra apud nos extant vetera monimenta, eadẽque omni fide probata. Vt planè in singulis ipsorum ap-

pareat, nihil magis omnes Romanos cauiſſe Pontifices, quam vt in omnibus ſartam tectam inuiolatamque libertatẽ Eccleſiaſticam conſeruarent; ea enim polliceri renuentibus, denegaſſe, vel pollicita præſtaſſe detrectantes, cenſuris Eccleſiaſticis exagitaſſe. Sed cum omnes impenſe adeò in his perſeuerarint: admiratione quidẽ haud mediocri dignum videri poteſt, vnde emerſerit, vt falce Apoſtolica ſuccifi radicitus Monarchiæ infelices palmites, iidẽ ſæpe dẽſiori atque altiori germine pullulauerint, & excreuerint, & quæ Chriſti damnata ſententia infructuoſa arbor aruerit, rurſum maiori bonorum fructuum ſterilitate, & malorum fertilitate viruerit, iam ab Eccleſię terra, quam malè occupat, penitus euellenda.

Ita verò cauſam roganti: *Vnde in benè ſato atque culto agro zizania?* nihil propius reſpondendum, quam illud Euangelici patrisfamilias, dicentis: [a] *Inimicus homo hoc fecit.* Sed non cum dormirent homines, tantum ſcelus præſumptuum? imò ipſis vigilantibus, recla-

mantibus etiam, & exclamantibus, dãnantibus pariter, atque auctoritate Apostolica, quantum licuit, tyrannos istos, Fridericum, Conradum, atque Manfredum, cum id violenter agerẽt, cohibentibus. Præualuit tamen ad tẽpus vis tyrannica, grassatio violenta: Principum latrocinium. Sic dixerim, secundum Iustini martyris sententiam ad Antoninum Pium scribentis, atque liberè profitentis: *Tantum valent Principes, opinionem veritati præferentes, quãtum prædones in solitudine.* Dum sicut isti, ita illi grassantur, sed maiori isti potentia, minori tamen verecundia, cùm quod nefas est, id iure factum velint, & quod per vim tyrannicam imperant, & extorquent, hoc veluti ratione summa sancitum iubeant, pariter vt sacrosanctum ab omnibus custodiri, atque trãsmitti curent ad posteros. Ita plane accidit, vt cum Monarchia illa pristina excisa penit⁹ atque extincta fuerit Romanæ Ecclesiæ iuribus, rursus tyrannorum Principum viribus sit nefarius restituta, sed Romanis semper Pontificibus obnitẽntibus, atque fortissimè

A tyrannis tyrannicè secundo restituta Monarchia.

resistentibus.

Fuerunt primi, qui ista tentarunt, post Rogerii Regis & eius filii Vuillelmi ausus temerarios condemnatos atque rescissos, Fridericus Imperator, idemque maximè impius, & infestissimus omnium Romanæ Ecclesiæ persecutor, itemque patri filius non dissimilis Conradus, atque Manfredus frater qui eosdē superauit impietate. Hi tres in primis iurato bello aduersus Romanos Pontifices, in seruitutem deduxere Ecclesias omnes, & cum Ecclesiis etiam viros Ecclesiasticos summa tyrannide compresserunt, cum Pharaone dicentes superbo fastu: b *Nescio Dominum; & Israel non dimittam.* Hi tres igitur euersæ penitus Siculæ Monarchię restitutores fuere, atque propagatores amplissimi, quos tandem ab ipsis Romanis Pontificibus condemnatos atque magno prodigio, Dei dira vindicta sublatos, erubescant, atque simul horrescant imitari Principes orthodoxi. Imitantur planè atque sectātur, qui iisdem quibus illi legibus Siculam reuocant atque renouant Monarchiam,

b *Exod.* 5.

Ad quam euertendam ab his temporibus quotquot fuere Romani Pontifices, ad quos pertinuit inuestituras cōferre Siciliæ Regibus, omnes vno consensu, sicut vno spiritu laborarunt, vt inter alias expressas conditiones prescriptas ipsis seruandas, illæ essent potissimę, quibus abrogarent quascunque ab his sancitas leges aduersus ecclesiasticam libertatem. Hęc vt ostendamus, agendum de singulis.

Atque primum quod spectat ad tres hos tyrannos, Fridericum, Conradū, atque Manfredum, ob violata iura Ecclesiastica Fridericus à Gregorio Nono primum excommunicatus fuit, deinde in Consilio Lugdunensi ab Innocētio Quarto Regno simul & Imperio spoliatus est. Inter alias verò causas ei⁹ abdicationis hęc allata est, quod electiones sacrorum Antistitum in Sicilia, atque in Imperio turbasset, ecclesiasticosque coram laïcis conueniri permisisset. Huius exemplum secuti Conradus atque Manfredus non legitimi Reges, sed tyranni, quippe qui Siciliā absque inuestitura accepta, inuitis Pō-

tificibus occupassent, cum multa contra Sedis Apostolicæ auctoritatem & iurisdictionem impiis legibus suis sancire conati essent: successores Pontifices ipsis damnatis, in singulis ab eis traditis inuestituris, de abrogandis iisdem legibus ab ipsis promulgatis egerunt, hoc adiecto ab Alexandro Papa Quarto magna consideratione: vt quoniam inuadendæ ecclesiasticæ libertatis in Friderico occasio fuerat auctum Imperio regnum Siciliç, quo munitus despexit parere Pontifici: non liceret in posterum vlla penitus ratione iungi regnum Siciliæ cum Imperio. Quæ quidem tunc præscripta conditio, consueuit in omnibus postea concessis Siciliæ Regibus à successoribus Romanis Pontificibus inuestituris apponi, atque verbis totidem innouari. Sicque procul abfuit, vt ex Ecclesiç iuribus passi sint Monarchiam Siciliæ innouari, qui & additamento secularis potentiæ eã conflari penitus vetuere: tantum abest, vt ex spiritualibus eã augeri voluerint: sed de ipsis agamus inuestituris.

Viuente adhuc Manfredo tyranno

habere, in tantum tamen, in quantum ecclesiarum patronis canonica instituta concedunt. Hæc in aurea bulla inuestituræ. Extat apud nos vna cum aliis ad hæc spectantibus documentis siue ex Vaticana bibliotheca, siue ex archiuo munitionis sancti Angeli, siue ex Registris Cameræ Apostolicæ, aut aliũdè petitis. Ex quibus vides solo æquari turres illas exaltatas à tyrannis illis super omnem Ecclesiasticam libertatem, cũ nullum relinquitur contra eam Regibus priuilegium, dum tam res omnes, quàm personas Ecclesiasticas in libertatem illam vendicatas voluit, quæ sacris legibus debetur ipsis, nec in iure patronatus Regis tributum aliquid amplius, quam ceteri omnes patroni iure debitum possidere solerent.

Cùm autem dicta inuestitura facta Anglorum Regi, ipso non curante, effectu caruit, & Carolus Andegauensis Comes, sancti Ludouici Regis Francorum frater inuestituram à Clemente Papa Quarto accepit: occiso in bello Manfredo Siciliæ regni inuasore liberiori dispositione idem Siciliæ regnum

Translatũ regnum in Andegauos.

ad iura Romanę Ecclesię reuersum est; sicque post hæc ampliori forma in ipsis inuestituris per Sedem Apostolicam factis libertas ecclesiastica est declarata atque munita, cum prohibitione semper, ac detestatione legum dictorum Principum tyrannorum; quæ fuerant ab eis promulgatæ pro Monarchia cōtra ecclesiasticā libertatē. Nā audi quæ in aurea bulla continentur Caroli Andegauēsis Siciliæ Regis, qui auctoritate Apostolica ibi regnauit. Ipse enim, cum regni inuestiturā accepisset à Clemētē Papa Quarto, anno Domini millesimo ducētesimo sexagesimo quinto, Indictione septima, hęc inter alia se forē seruaturum promisit, quæ his ipsis verbis in eodem diplomate scripta leguntur.

Bulla Caroli Regis ad Clemēt. PP. IV. destruitur Monarchia Sicil.

Omnes insuper ecclesiæ, tam cathedrales; quàm aliæ regulares, & seculares, nec non & omnes Prælati, & clerici, ac omnes personæ ecclesiasticæ, seculares, & religiosæ; ac quæcunque religionis loca cum omnibus bonis suis in electionibus, postulationibus, nominationibus, prouisionibus; & omnibus aliis plena libertate gaudebunt. Nec ante electionem, siue in electione; siue post, regius assensus,

assensus, vel consilium aliquod requiretur. Quam vtique libertatem promitto ego, & mei in regno hæredes sẽper manutenebimus, & conseruabimus, & manuteneri, & conseruari faciemus ab omnibus subditis nostris, & quod dictæ ecclesiæ, atque personæ vti possint liberè omnibus bonis, & iuribus suis, saluo mihi, meisque in regno hæredibus iure patronatus in ecclesiis, in tantum, quantum in hac parte patronis ecclesiarum canonica instituta concedunt, vbi antiqui Reges Siciliæ huiusmodi ius patronatus in ipsis ecclesiis habuerunt.

Omnes etiam causæ ad forum ecclesiasticum pertinentes, liberè, & absque vllo impedimento agitabuntur, tractabuntur, & ventilabuntur coram Ordinarÿs, & aliis ecclesiasticis iudicibus, & terminabuntur per eos. Et si ad Sedem Apostolicam super huiusmodi causis appellari contigerit: tam appellantes, quàm appellati ad eam venire Sedem pro appellationum prosecutionibus liberè, & absque inhibitione aliqua permittantur. Et promitto tam me, quam hæredes meos facturos, curaturos, & permissuros, quod sic agitari, tractari, & ventilari, ac terminari possint, & sic quod possit appella-

ri, & liberè venire Romam.

Sacramenta verò fidelitatis præstabuntur secundum antiquam & rationabilem consuetudinem, prout canonica instituta permittunt, ab illis ecclesiarum Prælatis, quorũ prædecessores antiquis illa Siciliæ Regibus præstiterunt. Ab illis autem Prælatis, & ecclesiis, qui regalia, siue temporalia bona tenent, si qui tamen sunt, qui huiusmodi bona teneant à domino regni, & alijs dominis temporalibus, & qui ratione huiusmodi bonorum ab antiquo consueuerunt Regibus, & ipsis dominis temporalibus seruitia exhibere, eiusmodi honesta & antiqua seruitia eis secundum rationabilem & antiquam cõsuetudinem, prout statuta patiuntur canonica, impendantur, salua semper circa ecclesias cathedrales, & alias regulares, ac personas, ac loca ecclesiastica tam in faciendis prouisionibus, & electionibus confirmandis, quam in alijs quibuscunque, Romani Pontificis, & Ecclesiæ Romanæ iurisdictione, ac auctoritate plenaria, & libera potestate.

Reuocabo quoque omnes Constitutiones, seu leges per prædictum Fridericum vel per Reges Siciliæ, siue per Conradum, ipsius Friderici filium, aut Manfredum quondam

Principem Tarentinum, qui de facto regnũ ipſum detinuit occupatum, editas contra eccleſiaſticam libertatem. Nec ſtatuta, vel Conſtitutiones aliquas edam, aut etiam promulgabo, per quæ iuri, vel libertati eccleſiaſticæ derogetur. Quęnam autem fuerint Friderici eiuſmodi Conſtitutiones cõtra eccleſiaſticam libertatem, poſſumus intelligere ex bulla anathematis, qua Innocentius Quartus in concilio Lugdunenſi excommunicauit eundem Fridericum Imperatorem, ex his ſcilicet cauſis, quod in regno Siciliæ Prælatorum electiones perturbabat, tributa, quæ talliam vocant, eis ſoluenda præſcribebat; quodque clericos corã iudice ſeculari conueniri permittebat &c. Pergit verò:

Promitto etiam, quod tam ego, quam mei hæredes non patiemur, quod aliquis clericus, vel perſona eccleſiaſtica eorundem regni & terræ, in ciuili, vel criminali cauſa conueniatur coram iudice ſeculari, niſi ſuper feudis iudicio petitorio conueniatur ciuiliter: ita quod omnes eccleſiæ, ac perſonæ eccleſiaſticæ omni modo erunt liberæ, & etiam in nulla Regi, vel Principi ſubiacebunt.

Et quod nullas tallias, vel collectas imponemus ecclesiis, monasteriis, clericis, & viris ecclesiasticis, vel rebus eorum. Et quod in ecclesiis vacantibus nos, vel nostri in regno meo hæredes nulla habebimus regalia, nullosque fructus, reditus, & prouentus, nullas etiam obuentiones, ac nulla prorsus alia percipiemus ex iisdem, custodia earundem ecclesiarum interim libera remanente penes personas ecclesiasticas, iuxta canonicas sanctiones &c. Plura alia addit facienda in fauorem Romanæ Ecclesiæ, à qua regnũ acceperat. Repetitæ sunt autem hæc in diplomate inuestiturę, factæ eidem Carolo ab eodem Clemente Pontifice, cuius est exordium: *Constituti ab eo, per quem Reges regnant &c.* In fine autẽ ipsius ista: *Actum apud Lateranum in basilica sancti Saluatoris, quæ appellatur Constantiniana, ante sanctissimum altare ipsius basilicæ quarto Kalẽdas Iulij, anno Domini MCCLXV. Pontificatus Clemẽtis Quarti anno primo.*

Tenuit Carolus regnum Siciliæ vltra Pharum vsque ad annum Redemptoris millesimum ducentesimum octogesimum secundum, quo cæsis Francis,

eam occupauit Rex Aragonum Petrus, de quo inferius dicturi sumus: modo cœptam semel Andegauorum successionem suo ordine prosequemur, qui singulas à successoribus Romanis Pontificibus de vtraque Sicilia inuestituras sunt consecuti iisdem conditionibus, quibus à Clemente Quarto Carolus Primus acceperat, licet re ipsa possessores tantum essent Siciliæ citra Pharum.

Carolus II. Profligator Monarchiæ.

Carolo Primo successit anno salutis millesimo ducentesimo octogesimo-nono, decimoquarto Kal. Iulij, Carolus Secundus Rex Siciliæ, exhibens iuramentum fidelitatis Nicolao Papæ Quarto. Idemque inter alia, quæ breuitatis causa recensere omittimus, eadē seruanda promisit, quæ pollicitus fuerat Rex Carolus prędecessor Clemēti Papæ Quarto, iisdem capitibus, totidē verbis superius recitatis, atque ex eadē bulla descriptis, cum abrogatione omnium legum triūm tyrannorum, cōtra libertatem ecclesiasticam sancitarum: quę omnia repetita habentur atque descripta in bulla eiusdem Nicolai Papæ. In fine autem ipsius Caroli promis-

sionis ista de eius tempore scripta legũtur. *Actum Reate in maiori palatio iuxta cathedralem ecclesiam Reatinam decimoquarto Kal. Iulij, anno Domini millesimo ducentesimo Octogesimo nono, Indictione secunda, regni Siciliæ anno quarto.*

A bonifacio Pap. destruitur Monarchia.

Anno verò millesimo ducentesimo nonagesimoquinto idem Carolus inuestituram accipiens à Bonifacio Papa octauo, die decimaseptima mensis Februarij, Indictionis octauæ, anno vndecimo regni eius, parem in omnibus eidem bullam auream fecit, in qua per singula quæque verba, in ijs, quæ spectant ad libertatem ecclesiasticam sartam tectam in omnibus custoditam, eadem quę superius sunt recitata in diplomate Clementis Papæ Quarti, & aurea bulla Caroli Regis, sunt repetita; itidẽque abrogatio legum tyrannorum, cõtra ecclesiasticam libertatem sancitarum, æquè descripta totidem syllabis repetitur. Quibus planè omnibus omnes Monarchię nerui succisi penitus sunt, vt stare nullatenus possit. Extat ipsum diploma in iisdem tribus codicibus superius nominatis, quod qui vo-

luerit, inspicere poterit.

Nepos verò Caroli Robertus Rex vtriusque Siciliæ regni inuestituram accepit à Clemente Papa Quinto, salutis anno millesimo trecentesimo nono, Indictione septima, die vigesimo sexto mensis Augusti, primo ipsius regni anno, vt in eius aurea bulla signatur, easdemque promissiones præstitit pro cõseruandis liberè iuribus ecclesiasticis, ita vt ex Clementis Quarti inuestitura per apices singulos esse descriptæ appareant, cum eadem detestatione legum trium tyrannorum contra ecclesiasticam libertatem in Sicilia editarum, ita vt sic per suos intonãte desuper Sancto de cœlo: [a] *Succidite arborem.* Vna omniũ tam Romanorum Pontificum, quam Regum Sicilię, eademque fuisse conspiratio videatur destruendæ malè plantatæ ab initio Monarchiæ. Extat ipsa bulla aurea in iisdem citatis superius libris. Bulla aurea Roberti Reg. destruitur Monar. Sic.

a Daniel. 4.

Rursum verò idem Robertus Siciliæ Rex cum præstitisset iuramentum fidelitatis Benedicto Duodecimo Romano Pontifici, bullam auream pariter Alia Bulla aurea Roberti eiusdem Argumenti ad Benedictum Papam XII.

scribendam curauit de his, quæ ab eo obseruanda essent, cuius exordio tẽpus ita exactè describitur, scilicet: *Anno Domini millesimo trecentesimo trigesimoquinto, Indictione tertia, die vigesimaquinta mensis Iunij, Pontificatus sanctissimi patris & Domini nostri domini Benedicti, diuina prouidentia Papæ Duodecimi, anno primo &c.* Vbi inferius inter alias obligationes, quas à se fore seruandas expressit, de libertate ecclesiastica, in regno Siciliæ iugiter retinenda, eadem totidem verbis sunt expressa, quę in regio diplomate aui sui Caroli Regis sunt superius recitata; specialisque pariter facta habetur abrogatio legum tyrannorum illorum Friderici, Conradi, atque Manfredi, qua videri possit conuulsa penitus Monarchia.

Quę huic successit Ioanna, anno Redemptoris millesimo trecentesimo quadragesimo quarto, à Clemente Papa Sexto inuestituram accepit de vtraque Sicilia iisdem prorsus conditionibus de libertate Ecclesiastica conseruãda, quibus Carolus Primus atque alii successores superius nominati à Roma-

nis Pontificibus accepiſſent. Sed & anno milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo ſecundo, nouo Pontifici Gregorio Vndecimo fidelitatis iuramentũ exhibens, omnia quę ſupra, ſeruare promiſit, quæ tum ipſa tum prædeceſſores promiſerant de Eccleſiaſtica immunitate tuenda. Hæc Auenione anno ſecundo Pontificatus eius, die quarto Ianuarij. Extant de his tunc ſcripta diplomata. Hi omnes igitur Andegaui Caroli Primi ſucceſſores inueſtituras iiſdem ſupra narratis conditionibus pro Eccleſiæ libertate præſcriptis à dictis Romanis Pontificibus accepere de vtraque Sicilia, quamuis Siciliam vltra Pharum minimè poſſiderēt, quam occuparant Aragonenſes, Petrus Primus & ſucceſſores.

Ita quidem Romani Pontifices, cũ Petrus & ſucceſſores non peterent (vt par erat) ab Eccleſia Romana inueſtituras, damnatis illis, vt iniuſtis occupatoribus, iura vt ſibi illęſa ſeruarent, quæ à tempore Roberti Guiſcardi Sedes Apoſtolica poſſediſſet: perſeuerarunt de eodem regno vltra Pharũ, vt prius,

conferre petentibus Regibus Andegauensibus more solito inuestituras, iisdem, vt dictum est, conditionibus, quibus à tribus tyrannis Monarchia restituta atque collapsa restitui vltra non posset: quæ tamen ab Aragonensibus in Sicilia vltra Pharum regnantibus intereà pararetur tyrannica potestate, ita dixerim, prout contra eos lata sæpè sententia à Romanis Pontificibus atque Conciliis comprobauit, scriptis de his publicis monimentis, quę extāt adhuc.

Reges Aragonum Monarchię Siculę restitutores.

Petrus enim Aragonum Rex, qui cæsis Francis Siciliam insulam occupauit, cum antiqua iura hactenus possessa ab Ecclesia Romana super ipso regno recognoscere nollet, nec ab ea vellet inuestituram accipere, ipsique censum pendere, iuramētum fidelitatis pręstare, & homagium exhibere, à Martino Papa Quarto excōmunicatur, ipsumque regnum interdicto subiicitur. Extant de his litteræ Apostolicę apud Eberardum in Chronico. Duxerat hic Constantiam filiam Manfredi nothi filii Friderici, in matrimonium, quo putauit coniugio ad se iure regnum Sici-

liæ pertinere. At quid? Non enim propterea solutus, qui non accipere deberet inuestituram ab Apostolica Sede: nam & Guillelmus quantumlibet Malus, accepit eam ab Hadriano, ipsaque Constantia maior Friderici mater, ipseque Fridericus, ac denique præter tyrannũ Manfredum inuestituram omnes acceperunt.

Quantum autem fuerit iste à prædecessorum pietate degener, & ingratus in Apostolicam Sedem, ex eo poteris intelligere, quod ipse feudatarius anteà esset Romanę Ecclesiæ ratione regni Aragonum, regiumque titulum regni eius beneficio Sedis Apostolicæ possideret, cũ auus eius pater Iacobi, cuius filius erat, itidem Petrus dictus, Aragonum Rex regnum Romanæ Ecclesiæ obtulisset. Quod apparet ex eiusdem primi Aragonum Regis diplomate, quod hic tibi (quod perbreue sit) describendum curauimus. Sic se habet.

Cùm corde credam & ore confitear, quod Romanus Pontifex, qui est beati Petri successor Vicarius sit illius, per quem Reges regnant & Principes principantur, qui do-

minatur in regno hominum, & cui vult, dat illud: Ego Petrus Dei gratia Rex. Aragonum, Comes Barchinonensis, & dominus Montis pessulani, cupiens principali post Deum beati Petri & Apostolicæ Sedis protectione muniri: Tibi, reuerentissime pater & domine summe Pontifex Innocenti, & per te sacrosanctæ Romanæ Apostolicæ Sedi offero regnum meum, illudque tibi & successoribus tuis in perpetuum diuini amoris intuitu, & pro remedio animæ meæ & progenitorum meorum constituo censuale, vt annuatim de Camera Regis ducétæ quinquaginta massemutinæ Apostolicæ Sedi reddantur, & ego & successores mei specialiter ei fideles & obnoxij teneamur. Hoc autem lege perpetua seruandum fore decerno; quia spero firmiter & confido, quod tu & successores tui, me ac successores meos, & regnum prædictum Apostolica auctoritate defendetis: præsertim cum ex multo deuotionis affectu me ad Sedem Apostolicam accedentem tuis, quasi beati Petri manibus, in Regem solenniter coronandum voluisti. Vt autem hæc regalis concessio inuiolabilem obtineat firmitatem: de consilio procerum Curiæ meæ, præsente venerabili patre meo

Regnum Aragoniæ feudatariũ Roman. ecclesiæ.

Arelatensi Archiepiscopo, & Sancio patruo meo, & Hugone de Baucio, & Arnaldo de Fociano Baronibus meis, sigilli mei feci munimine roborari. Actum Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo ducentesimo quarto, quarto Idus Nouembris, anno regni mei octauo. Fuit idem annus Innocentij Papæ Tertij septimus. Bernardus eius tẽporis scriptor in Chronico, dum de his agit, elucidat summam polliciti census, nempe fuisse ducentas quinquaginta vncias auri. Extat in codice priuilegiorum Romanæ Ecclesiæ.

Petrus Aragoniæ Romanæ rebellis Ecclesi.

Qui igitur feudatarius Romanæ Ecclesiæ erat, atque iuramentum fidelitatis præstiterat eidem, inuadens regnum Siciliæ feudatarium Romanæ Ecclesię, aduersus eam rebellis extitit, & contumax aduersarius, rursum erigens Monarchatum: quam ob causam (vt audisti) sententia excommunicationis affectus, in ea dum vixit, perseuerauit impœnitens, regnum relinquens Iacobo filio anno millesimo ducẽtesimo octogesimo quarto, qui eadem cũ patre est sententia condemnatus, ipso regno per



annos septuaginta (vt Gregorius Vndecimus Papa testatur) interdicti pœnã subeunte. Dixerisne tu Lector, si bona fide rem agis, eos omnes, qui eo temporis spatio Reges Aragonum in Sicilia, qui inuita contradicente atque irrogãte pœnas Sede Apostolica, regnauere, legitimos fuisse Reges, an potius iure censueris nominandos fuisse tyrannos? Dixerisne, si æquitatis es arbiter, ipsos Romanos Pontifices eodem tempore consulentes Romanæ Ecclesiæ iuribus in Sicilia collabentibus, non legitimè inuestisse de eodem Siciliæ regno à tyrannis eo modo occupato atque detẽto Andegauenses, quousque Aragonenses in ea contumacia perstitere, & pulsando ostium Romanæ Ecclesiæ, ea aperiente ingredientes, legitimi facti sunt regni Siciliæ possessores?

Fridericus secundus Aragon. primus recognouit dominium Apost. Sedi.

Qui primi ostium pulsauere, fuere duo Friderici, Secundus & Tertius dicti, iidem Siciliæ Reges, quorum prior fuit Petri filius, qui post Iacobum fratrem regnauit; posterior verò idemque Sextus numeratus Aragonensium Siciliæ Rex Friderici prioris nepos, filius

verò Petri Secundi. Senior Fridericus inita concordia cum Andegauensibus Carolo Secundo & Roberto nepote Siciliæ Regibus legitimis, qui inuestituram acceperant à Romano Pontifice, iunctóque fœdere nuptiarum inter eos cum Elionorã Caroli filiam in cõiugem accepisset, sic pactus est cum illis, vt ipse dum viueret Fridericus, dominus Sicilię vltra Pharum esset, ita tamen, vt non Siciliæ, sed Rex Trinacrię diceretur, & post eius obitum regnum illud rediret ad Carolum siue hæredes eius: recognosceret verò Romanam Ecclesiam eiusdẽ Trinacriæ regni dominam, cui censum more maiorũ persolueret, & præscriptas conditiones impleret, & inter alias eas, quæ libertatem & immunitatem Ecclesiasticam in omnibus in statum pristinum reuocarent, atque plenissimè restituerent. Extat de his Bonifacij Papę VIII. diploma, quod incipit: *Rex pacificus, cuius locus factus est in pace, &c.* Et paulò post hæc de Aragonensibus, qui regnum Siciliæ occupassent, & hactenus tyrãnicè possedissent: *Sanè post commotionis*

amaræ dissidium, & proteruæ rebellionis insultum in insula Siciliæ ex fauore reprobæ præsumptionis exortam, ac subsecutam inuasionem & occupationem ipsius, per Petrum olim Regem Aragonum attentatas, eiusque posteros cum accessione vitij continuatas, in culpam rebellionis ex eodem & inuasionis excessu, & illicita continuatione protracta, prout sana iudicia supponunt, &c. Datum habetur Anagniæ duodecimo Kalendas Iunii, anno nono eius Pontificatus, qui est Redemptoris millesimus trecentesimus secundus. Sic igitur Monarchia per Petrum restituta, eiusque filium primogenitum Iacobũ successorem propagata, demum per Fridericum eius filium, huius fratrem est penitus fracta, libertas verò Ecclesiæ reuocata, cum se dictis conditionibus obligauit, quibus Romanam Ecclesiam, cui eo nomine censum soluerет, dominam recognosceret, eamque potiri iuribus omnibus immunitatis in Sicilia, vt prius ex præscripto sacrorum canonum possedisset, promisit, atque iuramento firmauit. Quę hæc omnia ad tempus vitę suæ seruanda à Friderico Secundo

Monarchia renouata iterũ recisa.

co Secundo promissa, Fridericus Tertius cumulatius præstitit, dum se suosque in perpetuum successores, ad ea cuncta implenda, quæ innouatam violentam Monarchiam destruerent, voluit quam firmissimè obligasse.

Porrò Fridericus Secundus bellum cum Roberto aggreditur anno Redēptoris millesimo trecētesimo decimotertio, quod & prosecutus est Petrus Secundus & Ludouicus, per quos incebrescentibus prœliis religio vbique coli neglecta est, & Monarchiæ aconitum in necem miserorum hominum Ecclesię perduellium creuit. Tandem verò cum post diuturna bella, quæ per septuaginta, eoque plures annos inter Andegauenses legitimos Siciliæ Reges, & Aragonios, Petri Regis, qui Insulam aduersus Carolum Primum occuparat, successores gesta fuerant, pax & concordia à Ioanna Regina, Caroli abnepte, cum Friderico Tertio, Petri eiusdem pronepote, his cōditionibus inita fuisset, vt Fridericus eiusq; hæredes Sicilię Insulam, seu regnum Trinacriæ (sic enim nuncupari placue-

Iterum Monarchia instaurata.

rat) possiderent, ita tamen, vt eam à Regina eiusque posteris se tenere agnoscerent, ac pro ea fidelitatem & homagium illis iurarent, & quotannis in festo Apostolorum Petri & Pauli Reginę eiusque successoribus auri vnciarum tria millia Neapoli persoluerent; quæ congruentem Insulæ partem conficiebant octo millium, quæ à Siciliç Regibus totius regni nomine quotannis Sedi Apostolicæ debebantur: cum his, inquam: aliisque de mutua inter vtrosque confœderatione & auxilio legibus, sub Pontificis Ecclesiæq; Romanæ, ad quam directum eius regni dominium spectabat, beneplacito & assẽsu conuenissent; Gregorius Vndecimus, qui Ecclesiam tum regebat, et si animaduertebat diuisionem hanc regni à Clementis IV. constitutione, qui in Caroli primi inuestitura Siciliam à terra, quæ est citra pharum, seiungi vetuerat, alienam esse, permotus tamen tot stragium & deprędationum, quæ ex bellis prodierant, consideratione, & quod propter interdictum, cui Sicilia per multos annos subiacuerat, diui-

ni cultus ratio, populique pietas vsque adeò decreuerant, vt periclitari in ea Fides Catholica videretur; exemplo Bonifacij, de quo dictum, relaxandã hac ex parte prædictam cõstitutionem (quam in ceteris, quæ huius concordię articulis non continerentur, integram atque intactam manere iubebat) quoad regni partes iterum aliquando coalescerent, conuentionisque inter Ioannã & Fridericum tabulas approbandas cẽsuit, nonnullis tamen adiectis & explicatis, quæ desiderari iudicarat, ac tribus maximè capitulis, quæ vt in omnibus olim Regũ Siciliæ inuestituris proponi consueuerant, ita in posterum à Regibus Trinacriæ pari studio seruari oporteret.

Conditiones præscriptæ Frid. III. & succ.

Primùm quidem ad homagium, sacramentúmque fidelitatis pertinebat, quod Romano Pontifici pręstare, suisque tẽporibus renouare, ac regiis quoque literis testari iubebantur. Deinde ad successores, vt descendentes duntaxat à Friderico, ijque legitimi in Trinacriæ regno succederent. His autem deficientibus, regnum ad Ioannæ hæ-

redes, si qui essent, aut his quoque sublatis, ad Romanam Ecclesiam deuolueretur.

Alterum ad Ecclesiasticorum iura, eorumque conseruationem, de bonis scilicet ipsorum restituendis, omnibusque priuilegiis à iure concessis conseruandis: De tuendo electionum & nominationum iure ac libertate, sine vlla regij consensus necessitate: De causis clericorum per Ordinarios, aut Pontificis delegatos terminandis; appellationibusque ad Sedem Apostolicam non inhibendis; De reuocandis statutis & legibus, si quæ à Friderico ipso, prędecessoribusque editę essent contra Ecclesiasticam libertatem; alijsque in posterum non sanciendis.

Tertium, ne regnum Trinacrię cum Imperio Romano, vel regno Teutoniæ, seu dominio Lombardiæ, vel Tusciæ sine expressa Pontificis voluntate coniungi vnquam posset: si secus fieret, regno exciderent Reges; & ad Ecclesiam Romanam deuolutum censeretur.

His ergo adiectis cõditionibus Gre-

gorius, cum Ioannę & Friderici concordiæ capitula apud Villam nouam Auenionensis diœcesis oppidum VI. Kalendas Septembris Pontificatus sui anno secundo confirmasset: Ioanna eadẽ omnia postmodũ cum Friderici Legatis Regis sui nomine acceptantibus coram Ioanne Episcopo Sarlatensi, Sedis Apostolicæ Nuntio, in eam rem delegato, ratificauit Auersę die vltima mẽsis Martij decimę Indictionis, anno Domini M.C.LXXIII. Deinde Fridericus ipse in eiusdem Episcopi manibus homagiũ pro Trinacriæ regno Põtifici iurauit Messanæ anno M. C. LXXIV. die decima septima Ianuarii, Indictione vndecima, Põtificatus Gregorii ãno quarto, vt ex publicis instrumentis constat, quæ omnia in omnibus integerrima tum Vaticana bibliotheca, tum Apostolicæ Sedis archiua conseruant. Porrò autem ex huius concordiæ auctoritate in regno Trinacrię successuri erant Friderici posteri.

Verùm is vnicã filiam reliquit, qua sine liberis defuncta, Aragonij Siciliam occuparunt, non vt Friderici huius, sed Reuocata rursus tyrannis.

quod profitentur, vt Petri primi tyranni hæredes. Et homagium, vt potè qui sine inuestitura regnabāt, nullum præstiterunt. Sicque ex consueta atque sæpè iterata tyrannide parta est violenta iterum Monarchia, profitentes successores se, vt Petri primi inuasoris hęredes, Siciliam possidere, vt potè quos necessariò fateri oporteat, se hæredes esse tyrannidis, inuasionis, cum in hęredes vitia transeant hæreditatis, quos sequatur & pœna excommunicationis, quę Petrum, cuius se iactant hęredes, affecerat; sicque in hoc vocati sint omnes, iisdem non dico iuribus, sed iniurijs innitentes, vt maledictionem hæreditate possideant; quorum adeò fuit deplorata conditio, vt eos non à sacrilegijs his reuocauerit timor ille, qui tonitru summi Tonantis mortales concutit verbis illis: [a] *Et quid prodest homini si vniuersum mūdum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? &c.*

[a] *Matt. 16.*

Quod autem religiosiores omnino existimemus esse recentiores Siciliæ

Reges, procul abest, vt credere vel opinari velimus, eos in Siciliæ vltra Pharũ regni possessione inniti Petro, manifesta tyrannide iura Ecclesiæ inuadenti ac pessumdãti, ob idque ad interitum vsque execrationibus diris affecto: quin potius quod pietas & ratio persuadent, eorum se Siciliȩ Regũ successores esse legitimos glorientur, qui legitimè illud ab habente eius verum dominium, ab ipsa eius domina Sede Apostolica obtinuerunt, vt Friderici Tertij, de quo diximus, qui recẽsitis superius pro immunitate ac libertate Ecclesiastica cõditionibus obseruandis, illud ad successores omnes posteros voluit propagari. Cuius si qui dedignantur hæredes haberi; sed magis Petri successores voluerint nominari: planè (quod horresco dicere) cum illo dici tyranni, & ijsdem cum illo infamari probrosis titulis in bullis à Romanis Pontificibus irrogatis, & eorum percelli sententijs anathematis velint. Quod Deus prorsus auertat. Cum prȩsertim eiusmodi professione, omni se penitus eius adipiscendi regni iure priuarent, cum nullus peni- Hæredes Petri quot mala sequantur.

tus afferere legitimè possit, eum fuisse verè Sicilię dominum, quam non ab Ecclesia Romana, habente eius directũ dominium, accepisset. Nam esto quod Carolus eodem regno priuari valuerit: nunquid aliquam de ipso pati iacturam Romana Ecclesia potuit, & sic suis iuribus spoliari? quod nemo certè diuinarum & humanarum legum peritus vel somnians poterit affirmare.

De inuestitura ab Eugenio Pap. IV. Alphon. Regi.

Sed prosequamur posteriores Sicilię Reges, atque rerum euenta quam breuiter perstringamus, acturi rursum de singulis suo tempore, si Deus concesserit, locupletius. Deficiente Andegauensium stirpe in Ioanna Secunda, cum Martinus V. anno Redemptoris millesimo quadringentesimo vigesimo eam abdicasset, Ludouicumque Tertium Ducem Andegauensium eius loco Regem designasset: illa Alphonsum Regem Aragonum & Sicilię insulę, deinde mutato consilio, Ludouicum eundem, reiecto Alphonso, adoptauit anno millesimo quadringentesimo vigesimo tertio. Ceterum prœlijs rem agentibus, post varia bella victor Alphõ-

ſus, vt ſtabiliret ſua, inueſtituram Siciliæ & terræ citra Pharum ab Eugenio Papa IV. tandem obtinuit, anno Chriſti milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo tertio, atque ita vtriuſque Sicilię, ſiue Siciliæ citra & vltra Pharũ, partibus regni poſt tot annos coniunctis, factus eſt Rex. Ita dicto anno, concedente Eugenio, Id. Iulij. Cuius diplomate iuberetur vtraque Sicilia indiuiſa ab inuicem ſemper in poſterum permanere. Extat ratificatio eiuſdem Alphonſi, facta poſt fermè biennium, nempe anno Salutis milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo quinto, die ſecunda menſis Iunij, qua & continetur homagium ab ipſo Romæ pręſtitum iſtis verbis:

Ego Alphonſus Dei gratia Rex Siciliæ plenum homagium ligium & vaſſallagium faciens vobis domino meo Eugenio Papæ Quarto & Eccleſiæ Romanæ pro REGNO SICILIÆ ET TOTA TERRA IPSIVS, quæ eſt citra Pharum vſque ad confinium terrarum ipſius Eccleſiæ, excepta ciuitate Beneuentana cũ toto territorio ac omnibus diſtrictibus ac

Alphonſi iuramentũ fidei exhibitũ Eug. Pap.

pertinentijs suis secundum antiquos fines territorij pertinentiarum, & districtus ciuitatis eiusdem, per Romanum Pontificem distinctos, vel in posterum distinguendos: ab hac hora in antea fidelis & obediens ero beato Petro, & vobis Domino meo Domino Eugenio Papæ IV. vestrisque successoribus Romanis Pontificibus canonicè intrantibus, sanctæque Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ. Non ero in consilio, vel consensu, seu facto, vt vitam perdatis seu perdant, aut mẽbrum, siue capiamini, vel capiantur mala captione. Consilium quod mihi credituri estis per vos aut Nuntios vestros, vel per litteras, ad vestrum, vel eorum damnum scienter nemini pandam. Et si sciuero fieri aut procurari, seu tractari aliquid, quod sit in vestrum, aut ipsorum damnum: illud pro posse impediam. Et si hoc impedire non possum, illud vobis vel eis significare curabo. Papatum Romanum, Regalia sancti Petri tam in REGNO SICILIÆ ET TERRA prædictis quam alibi consistentia adiutor vobis, & eis ero ad retinendum, defendendum & recuperandum, ac recuperata manu tenendum contra omnes homines.

Vniuersas & singulas conditiones suprascriptas & contentas in præsentibus litteris Apostolicis, super IPSORVM REGNI ET TERRÆ concessione confectis, & omnia & singula quæ cõtinẽtur in eisdem litteris, plenariè adimplebo, & nullo vnquam tempore veniam contra illa: & maximè, quod ego nunquam per me, vel alium, seu alios quoquo modo procurabo vt eligar, vel nominer in Regem vel Imperatorem Romanorum, seu Regem Teutoniæ, aut Dominũ Longobardiæ, vel Tusciæ, seu maioris partis earundem? & si electio de me celebrari contigerit: nullum huiusmodi electioni, seu nominationi assẽsũ præstabo, nec intromittam me modo aliquo de eorum, vel alicuius ipsorum regimine, neque etiam de ciuitate Beneuentana & suis pertinentiis, seu Campania, vel Maritima, Ducatu Spoletano, Marchia Anconitana, Patrimonio beati Petri in Tuscia, Massa Trebaria, Romandiola, alma Vrbe, in ciuitatibus Perusina, Ciuitate Castelli, Bononiensi, Ferrariensi & Auenionensi, Comitatu Venaßini, seu in aliijs terris quibuscumque vestris & demaniјs, seu feudis ipsius Ecclesiæ vbilibet constitutis ex succeßione vel lega-

to, aut venditione, seu donatione, seu alio quouis titulo, vel contractu: nihil vnquam mihi acquiram seu vendicabo, seu potero acquirere, vel quomodolibet vendicare; & nihil vnquam recipiam vel habebo, vel potero recipere, habere vel retinere in illis; neque vllam potestariam, capitaniam, vel rectoriam, nullumque aliud officium recipiam, seu accipere potero, habebo, vel retinebo, aut habere, seu retinere potero in eisdem, aut ipsorum aliquo; nec etiam occupabo, aut occupare permittam, seu faciam præmissa, vel partem aliquam eorundem; nec illa offendam vel molestabo; nec etiam Romanam Ecclesiam quoquo modo sub cẽsuris, pœnisque spiritualibus & temporalibus in suprascriptis conditionibus & infeudationibus contentis, quas hic haberi volo in singulis partibus alias pro specificè repetitis etiam & expreßis.

Fuit iste Antipapa dictus Felix Quartus.

Item perditionis alumno Amedeo hæretico & schismatico, à fide deuio, & ab ipsa Ecclesia præciso & sentẽtialiter condẽnato, eiusque sequacibus & dantibus ei auxilium, consilium vel fauorem non dabo quouis modo per me, seu alium, seu alios directè vel indirectè, publicè vel occultè au-

xilium, consilium, vel fauorem; nec ab aliis quantum in me fuerit, si impedire potero, dari permittam, sed eos iuxta posse meum, donec conuertantur, persequar & inuadam. Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Euangelia. Hactenus homagium & iuramẽtum intextum in ipsa Alphonsi ratificatione, vbi in fine: *Datum Neapoli apud maiorem Ecclesiam per manus mei prædicti Regis Alphonsi, anno à Natiuitate Domini millesimo quadringentesimo quadragesimoquinto, die secunda mensis Iunij octauæ Indictionis, regnorum nostrorum anno trigesimo, huius verò Siciliæ citra Pharum regni vndecimo.* Hæc ibi.

Qui cauillantur, ex eo quod semel eius ratificationis exordio scriptum inuenitur, inuestituram Eugenii esse de regno Siciliç citra Pharum, nonnisi pro eo ratificationem factam esse contendunt. Verùm cum ipsum ibi ab eo integrum Eugenij diploma recitetur verbatim, in quo centies reperitur, dari ab eo inuestituram de vtraque Sicilia, sicque formãdum homagium & iuramẽtum, quod ibi cum Eugenij bulla recẽsuerit atque descripserit in ipsa sua rati-

ficatione: quomodo ex ipsomet non conuincitur mendacium, vt amplius dubitandi locus reliquus esse nõ possit, cum præsertim decreto Eugenij ibidẽ descripto iunctum sic fuerit ab eo vtrũque regnum, vt non licuerit ipsa ab inuicem separari?

Reuocata Ecclesiæ iura.

Recitantur autem in ratificatione facta ab eodem Alphonso omnes conditiones ab Eugenio propositę, à se autem acceptæ atque ratę habitæ, iuratæ, atque subscriptę, & ipsæ quidem, quib⁹ omnia Ecclesiæ iura collapsa, à Regibus vsurpata reuocãtur in pristinum vsum, quę vendicarent ipsam Ecclesiã in pristinam libertatem; præcisis vinculis omnibus tyrannicę Monarchiæ, iisdem planè & amplioribus appositis conditionibus, quas superius recitatas legisti ex diplomate Clementis Papæ IV. de inuestitura facta Carolo Regi: vt non sit, quod possit desiderari ad perfectam extinctionem infaustæ Monarchiæ, & absolutissimam restitutionem Ecclesiasticæ libertatis.

Vt autem prosequamur de reliquis dicere. Ex nouo accidente, noua rur-

sus regni diuisio facta est. Sicilia enim insula cum regno Aragoniæ ad Ioannem eius fratrem, quod Alphonsus legitima prole careret, transiit, cuius filius & successor fuit postea Rex Catholicus. Qui quidem Ioannes cum absq; inuestitura ab Apostolica Sede accepta regnaret, nec peteret: Pius Papa II. concessit inuestituram Ferdinãdo Alphonsi filio naturali de vtraque Sicilia, ãno millesimo quadringẽtesimo quinquagesimo octauo. Extat ipsum Pontificium diploma de inuestitura vtriusq; Siciliæ facta eidem Ferdinando, quod incipit: *Diuina disponente clementia, per quam Reges regnant & Principes imperãt, &c.*

In quo primùm mentio habetur de inuestitura, facta ab Eugenio Papa Quarto eius patri Alphonso expressissimè de regno vtriusque Siciliæ, deque alia itidem de vtroque regno facta ab Eugenii successore Nicolao Papa Quĩto eidem Ferdinando post obitum patris sui, quem habilitasset ad vtriusque regni successionem, simulque posteros omnes. In eodem pariter omnes & sin-

Ferdinandi Alphon. filii in vestit.

gulæ recensitæ habētur inter alias multas conditiones illæ, quibus detestabilis Monarchia proscriberetur omninò, & sancta libertas Ecclesiæ in omnibus restitueretur, atque conseruaretur illęsa in suis ōnibus iurib⁹ & priuilegiis, cum iisdem planè conditionibus & capitulis, quæ superius sūt recitata in Caroli Regis inuestitura per Clementem IV. facta. Nam in ea sigillatim sunt posita, ad verbumque repetita omnia illa, cum solita detestatione & prohibitione omnium legum, quæ à tribus illis tyrannis, siue à Ioanna Regina, siue ab aliis promulgatæ fuissent. Extat ipsum diploma vna cum subscriptione testiū; datum anno Domini millesimo quadringētesimo quinquagesimo octauo, quarto Idus Nou. Pontificatus Pii Secundi Papæ anno primo. Cui mox subiicitur ratificatio ipsius Ferdinandi, habita sæpius expressissima mentione de facta & ratificata inuestitura Sicilię vtriusque vltra & citra Pharum. Vt nihil penitus sit, quod in iis desiderari possit.

Sixti Pap. IV. confirmatio.

Sed & Sixtum Papam Quartum eādem inuestituram, à Pio Secundo factā

de

de Sicilia, & terra quoque citra Pharū, eidem Ferdinando iisdem conditionibus confirmasse: ex eius apparet diplomate, dato anno primo sui Pontificatus, Redemptoris verò anno millesimo quadringentesimo septuagesimo primo.

Ipse etiam Ferdinandus Rex prospiciens in futurum, egit apud Innocētium Papam Octauum, vt inuestiret de regno Siciliæ, & terra citra Pharum filium suum primo genitum Alphonsum, tunc Ducem Calabriæ, nec non eiusdem Alphonsi filium primo genitum Ferdinandum tunc Capuæ Principem itidem de regno Siciliæ & terra citra Pharum, in qua solemniter facta inuestitura omnes illæ positæ & descriptæ fuerunt conditiones pro libertate & immunitate Ecclesiastica, tam locorum, quàm personarum, quas conscriptas superius legisti inuestitura à Clemente Papa Carolo Regi facta, continentes libera iura appellandi ad Apostolicam Sedem, & abrogationes legū Friderici, siue aliorum quorumcunque contra libertatem Ecclesiasticam edita- De inuestitura facta Ferd. filio, & nepoti ab Innoc. Pap. VIII.

rum: ita vt ne vel minimum quidpiam prętermissum, vel diminutum à recitatis superius ijsdem conditionibus inueniatur.

Facta est eiusmodi inuestitura, datũque diploma Romæ, anno Redemptoris millesimo quadringentesimo nonagesimo secundo, pridie Nonas Iunij, anno eiusdem Innocentij Pontificatus octauo. Cuius est exordium: *Romanus Pontifex inter curas multiplices, &c.* Habemus exemplaria eiusdem inuestiturę in Vaticana bibliotheca; authentica verò originalia in archiuo in castello sancti Angeli asseruantur.

De Iulii Pap. II inuestitura facta Ferdinando. Cath. Reg.

Sed modo dicendum de alio Ferdinando, cognomẽto, Catholico, qui de Sicilia citra Pharum à Iulio II. Papa inuestituram accepit, cum tamen Siciliæ vltra Pharum regnum, quod succedẽs (vt dictum est) Ioanni patri acceperat, absque inuestitura aliqua possideret. Sed quæ ratio, vt Siciliæ citra Pharum peteret inuestituram ab Apostolica Sede, Siciliæ verò vltra Pharum minimè? cum æque vtriusque Sicilię dominium penes eandem Apostolicam Se-

dem esset, & sicut illius, ita & istius inuestituram conferre consueuerint Romani Pontifices à primis temporibus, cum ea, Sarracenis expulsis, sunt potiti Northmanni, & Robertus Guiscardus, qui primus inuasit, & frater eius Rogerius, qui plene possedit (vt pluribus de singulis dictum est superius suis locis) sicut & posteri, vsque ad tyrannos Cõradum, atque Manfredum, & Corradinum, de Sicilia vltra Pharum, sicut de Sicilia citra Pharum, quam vocant, æque ab Apostolica Sede acceperunt inuestituram.

Sed num quia non accepit Petrus, de quo superius dictum, bene factum probari potuit, cum quantumlibet iustè, vt sibi visum est, eam vendicasset à Carolo? nunquid ab ipsa Sede Apostolica potuit abstulisse dominium, quod & posteriores, ijdemque prudentiores Reges sunt venerati, Fridericus Secũdus, Tertius, & alij superius recensiti, qui ab ipsa Sede Apostolica non alterius, sed vtriusque Siciliæ inuestituram ab Apostolica Sede petierunt, & acceperunt? Sed nunquid Iulius, qui Sici-

liæ citra Pharum tantum inueſtituram petenti tradidit Ferdinando, voluit Eccleſiæ Romanæ iuribus ſuper Siciliam vltra Pharum aliquid derogatum contra omnia prædeceſſorum diplomata? vel eius ſucceſſores Romani Pōtifices, qui ad inſtar Iulij ſucceſſoribus Regibus inueſtituram conceſſere Siciliæ citra Pharum, demptum & abrogatum voluerunt dominium directum, quod ſemper habuit eadem Romana Eccleſia in regno Siciliæ vltra Pharum? minimè gentium. Siquidem de ea re priuilegia per ſingulas inueſtituras diuerſis collatas vſu recepta, probata, confirmata, atque adeò ſtabilita fuere, vt ad abrogationem eorum, ſpecialem mentionem requirerent, & cauſam magnam expoſcerent. Cum igitur à nullo penitus Romanorum Pontificum iiſdē vel in minimo derogatum poſſit oſtendi: eadem Eccleſiæ Romanæ iura ſuo robore integra permanere quis eſt qui negare præſumat? Ceterum ipſi Romani Pontifices vti patres iſta interdum toleranda, pro temporum ratione, & diſſimulanda putarunt ad tempus, timen-

tes ad iracundiam prouocare filios suos.[a] Sed nunquid dormiet vel dormitabit, qui custodit Israel, vt non sit de his exacturus rationem? non puto. An patietur ipse cuius sunt ista, Petrus,[b] qui de suo ipsorum vendito agro exigens seuerus exactor à dominis rationem, eosdem partem pretij occultantes, obtegentes fraudem mendacio, interfecit spiritu oris sui? non certè.

[a] Psal. 120.

[b] Act. 5.

Quod verò magnoperè admiramur illud est; quomodo in inuestitura, facta Ferdinando Catholico à Iulio Papa, vsurpata adeò reperitur inuersio nominum, vt per Siciliam & terram citra Pharum, non vtraque Sicilia intelligatur, cum semper à maioribus, ex quo etiam facta est ante Carolum Primum inuestitura Henrico Anglorum Regi, & per eum eius filio Eadmundo, & sic in ceteris omnibus vsque ad hęc tempora Iulij, in omnibus inuestituris, & earum per Reges exhibitas ratihabitiones, in illis verbis frequēter adhiberi solitis, Sicilia cum terra vltra pharum, seu Sicilia, & terra vltra Pharū, semper, inquam, per hæc verba intelligi volue-

runt vtramque Siciliam, vltra Pharum videlicet, & citra Pharum? At in dicta Iulij inuestitura per eadem verba, Sicilia & terra citra Pharum, seu, Sicilia cũ tota terra citra Pharum, nisi Siciliam citra Pharum intelligi debere, de qua facta legitur inuestitura contendunt. Ceterum si verba illa more maiorum sunt intelligẽda, haud dubium de vtraque Sicilia Ferdinandum dixeris accepisse, dum sic ipse iurat:

Ego Ferdinandus. Dei gratia Rex Siciliæ citra Pharum, & Hierusalem, plenum homagium ligium & vassallagium faciens vobis Domino nostro Domino Iulio Papæ Secundo & Ecclesiæ Romanæ pro regno Siciliæ & Hierusalem, atque tota terra, quæ est citra Pharum, vsque ad confinium terrarum ipsius Ecclesiæ, excepta ciuitate Beneuentana, &c. Et inferius, ex parte hæredum & successorum: *In proprio,* inquit, *iuramento fatebuntur, & recognoscent expreßè, regnum Siciliæ & Hierusalẽ ac totam terram eorum, quæ est citra Pharũ vsque ad confinia, vt supra.* Pergit: *Et mera liberalitate Sedis Apostolicæ, & nostra sibi suisque hæredibus & successoribus fuisse*

cōcessa, ipsosque recepisse & tenere regnum Siciliæ & terram huiusmodi à nobis, & dicta Romana Ecclesia, &c. Quæ inquam verba, si posita sint eo sensu, quo poni vsque ad ea tempora consueuerunt in omnibus inuestituris: res piè ac religiosè confecta est, vt facta dicatur inuestitura de vtraque Sicilia, etiam si de Sicilia citra Pharum tantum factam inuestituram, sit dictum superius: si verò alio sensu quam sonant sint posita, ecce in verbis captio, & deceptio. Ceterum Iulius Papa, qui rebellione Alphonsi Ferrariæ Ducis, & aliorum magnoperè vrgebatur, egebatque auxilio (vt ipse ibi testatur) eiusdem Ferdinandi contra rebelles, atque tyrannos: haud de inuestitura Siciliæ vltra Pharum explicatius agendum existimauit; cum tamen nequidquam iura Apostolicæ Sedis super idem regnum Siciliæ vltra Pharum dimisisse eo diplomate, vel alio, neque aliquis successorum, qui eadem verborum forma conceperit inuestituras à se factas siue Carolo Quinto, siue Philippis Regibus, dici possit, ita vt in omnibus penitus remaneant integra necesse

sit iura Apostolicæ Sedis in regno Siciliæ vltra Pharum, sicut & citra Pharũ, quæ possidet.

Quibus à Nicolai Papæ II. tempore, per spacium quingentorum ferè annorum possessis per inuestituram ab eo factam Roberto Guiscardo, & per successores Romanorum Pontificum successoribus Northmannis Comitibus, Ducibus atque Regibus, & post eos Constantię & eius filio Friderico, inde Anglorum Regi, deinde Carolo & successoribus Andegauensibus, postea Fridericis, Secundo, & Tertio Aragonensibus, inde Alphonso, & eius filio Ferdinando notho atque nepotibus: & his omnibus exhibitis semper inuestituris cum cõditionibus omnibus, quibus sunt iura Ecclesiasticæ immunitatis semper conseruata in omnibus integra & illæsa, iisdemque à nemine Romanorum Pontificum reuocatis speciali aliqua, quæ exigebatur, abrogatione, derogatione, abrenuntiatione, & sic alteri facta expressa concessione: quomodo absque speciali facta inuestitura ab ipsa Apostolica Sede verè domina, de regno

Siciliæ vltra Pharum, illud ab eis dici potest legitimè possideri, & non potius occupari, & prętér omne ius fasq. violentia detineri? Cum ostendendum sit, quando vel quomodo semel ab eius directo dominio excidit Apostolica Sedes, vt absque inuestitura per eum facienda possit à quopiam illud regnum legitimè possideri. At hæc cursim modo, suis autem temporibus agendum pluribus.

Vsus rerũ in possessione iuriũ Apost. Sedis.

Sed quod polliciti sumus ea etiam, licet breuiter, de his quæ spectant ad rerum vsum, insinuare: de his acturi, incipiamus ab eo tempore, quo sub Innocentio Papa Tertio ipsa malè cœpta extincta est Monarchia, perueniamusque vsque ad Carolum Quintum, quo restituta ponitur, per quęquę secula, ætates omnes, in quibus ostendamus iugem continuatamque possessionem omnium iurium Romanæ Ecclesiæ in omnem Ecclesiam Siciliæ, etiã vltra Pharum. Ecce Innocentius ipse Visitatorem mittit illuc plenissima facultate, ea quæ opus essent agẽdi, Cardinalem Episcopum Ostiensem. Extãt

adhuc datæ litteræ Apostolicæ ad Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, & alios. Innoc. Registr. to. 1. lib. 1. epist. 415. Insuper misisse reperitur rursus Legatum presbyterum Cardinalem sancti Laurentii in Lucina, vt apparet in 2. & 3. ca. sub. tit. de offic. deleg. extr. Adhuc etiam constituisse Legatum Syracusanam Episcopum, vt habet epi. 511. lib. 1. postea verò alia occasione misisse item Legatum à latere Gerardum diaconum Cardinalem sanctę Mariæ in Porticu, vt patet ex litteris ipsi datis pluribus eiusdem argumenti lib. eod. epist. 571. 572. 574. Rursus post hæc Legatos misit à latere Iulium presbyterum Cardinalem tituli sancti Stephani in monte Cælio, & Gerardum diaconum Cardinalem sancti Hadriani, vt apparet ex litteris illis datis. epist. 573. lib. 1. Causas insuper deferri solitas ad Sedem Apostolicam, & ab illa delegatas diuersis eiusdem Insulæ Episcopis, docent aliæ eiusdem Pontificis litterę. epist. 180. 310. 576. lib. 1. & lib. 2. epist. 14. hæc quæ cursim legendo inuenimus in cuso primo tomo epi-

ſtolarum eiuſdem Innocentii Papæ Tertii, cum alioqui nec omnes datæ ab eo epiſtolę inueniantur, plurimas ex eis excidiſſe conſtet: alię verò in aliis voluminibus antiquitus ſcriptę in Vaticana bibliotheca aſſeruantur, ex quibus aliqua ad rem ſpectantia voluimus deprompſiſſe; hicque non eas deſcripſiſſe, ſed indicaſſe tantum, ſignaſſeque loca, vt ſi velit Lector, conſulere ipſas poſſit.

Poſt alia namque habetur in iiſdem, quod idem Pontifex anno quinto ſui Pontificatus miſit in Siciliam R. ſancti Marcelli presbyterum Cardinalem, & cum eo conſobrinum ſuum Iacobum Mareſchal cum ampliſſima facultate. Extant de his litterę Apoſtolicæ tomo tertio epiſtolarum eiuſdem Pontificis. Incipiunt: *Opera teſtimonium perhibent veritati, &c.* Rurſus anno ſeptimo ſui Pontificatus miſiſſe reperitur Legatum in Siciliam G. diaconum Cardinalem ſancti Hadriani, cui ſuas vices tribuit tam in ſpiritualibus, quàm temporalibus. Datæ de his litteræ incipiunt: *Egreſſus ſatan, &c.* Extant libro ſeptimo.

Et ad Regem Siciliæ Fridericum, vt eiusdem Legati monitis, & consiliis acquiescat. Incipit epistola: *Regiæ excellentiæ litteras, &c.* Et ad eundem Legatum litteræ de optimo statu regni instituendo.

Continuata possessio sub Honorio Tertio.

Eius verò successor Honorius Papa Tertius, cuius epistolarum adhuc extāt volumina, nihil magis curasse videtur, quam vt iura Romanæ Ecclesiæ in Sicilia integra seruarentur: sicque cum cōcedit priuilegia Archimandritæ Messanensi, saluis Ecclesię Romanę iuribus id se facere contestatur, epistola 43. libro primo, data Kalendis Nouembris, anno Domini millesimo ducentesimo vigesimo sexto, Pontificatus anno primo. Litteris quoque sæpè redarguit Regem ipsum, quod se immisceat electionibus, & aliis iuribus Ecclesiasticis: cum ipse Rex Fridericus se id nec cogitasse facere excuset. Extant de his litteræ 527. libro tertio, & 531. Regis verò epistola 572. ad eundem Honorium Papam, quibus excusans, hæc inter alia ipse Rex ait: *An fortè nos ignorare creditis, quia qui præsumunt offendere sanctam*

matrem Ecclesiam, ipsi bibunt in calice Babylonis? &c. Cuius Friderici Regis tẽpore quamuis idem Honorius Papa eũ experiretur aduersum, nihilominus liberam in regno Siciliæ iurisdictionem exercuisse reperitur, nimirum indixisse collectã de persoluenda vigesima omnium Ecclesiasticorum redituum, pro subsidio Terrę sanctæ. Cuius causa legationem instituit ad ipsum Siciliæ regnum. Extant de his litterę Apostolicæ 104. 359. datę anno primo Põtificatus. Rursus de alia collecta indicta pro Tẽplariis epistola 131. libro tertio, data anno tertio sui Pontificatus. Insuper de appellationibus ad Sedem Apostolicã extat epistola eiusdem Honorij Papæ sexcẽtesima, data anno secundo sui Põtificatus ad Syracusanum Episcopum, cum tempore Innocentii Papæ ad Sedem Apostolicam appellasset: cuius causæ iuribus inspectis idem Honorius aduersariis perpetuum silentium indixit. Sub Innocẽtio Pap. Quarto.

Successor Honorij post Gregorium & Cælestinũ Innocentius Papa Quartus duos Legatos in Siciliam misisse

reperitur anno tertio sui Pontificatus, nempe S. presbyterum Cardinalem sãctæ Mariæ trans Tiberim, & R. sanctæ Mariæ in Cosmedin diaconum Cardinalem, amplissima concessa eisdem facultate. Extant de his eiusdem Pontificis litteræ ad Archiepiscopos, Episcopos, & Abbates, atque Barones eius regni. Est vndecima eius anni tertii epistolarum, quæ incipit: *Nostra feruẽter in hoc aspirat affectio, &c.* Alia rursũ ad eosdem Legatos, cum tribuit eis facultatem beneficia conferendi. Est 14. ordine incipit: *Si circumspector Dominus, &c.* Insuper idem Pontifex post hęc reperitur misisse Nuntios in Siciliam. Extant de his litteræ Apostolicæ, datę Lugduni anno eius Pontificatus octauo, mense Feburarii. Est earum exordium: *Lætentur cæli, &c.* Et ternæ aliæ quę sequũtur, eiusdem sunt argumenti. Alię insuper, quibus continentur collationes beneficiorum eiusdem regni Siciliæ factę diuersis.

Sed quod tędio putamus fore Lectori, si successorum singulorum Pontificum Romanorum hic nimia proli-

xitate describere velimus singula, siue de appellationibus ad Apostolicam Sedem ex eodem Siciliç regno delatis, siue de legationibus ab eadem Sede in Siciliam missis, aliisque iuribus liberè iugiter administratis: satis esse putam⁹, si missis cęteris; coniungamus postrema prioribus, quibus significetur, eadē ipsa, quæ actitata videmus, etiam vsque ad dicta tempora Caroli Quinti Imperatoris perseuerasse, nec vnquam penitus desijsse. Progredientes igitur ex Vaticanæ bibliothecę epistolarum voluminibus antiquorum Romanorum Pontificum, diuertamus aliquantisper ad Tabularium Camerale, ex cuius aliquibus scriptis libris, ista in exemplū perseuerantis vsus adduxisse sufficiat.

In libro bullarum primo Bonifacij Papæ Noni, qui in dicto Tabulario, siue archiuo Camerali vsque hodie asseruatur, in primis bulla habetur, qua mandatur Nuntio Sedis Apostolicę in regno Siciliç restitutio rebellium. Data Romæ quarto Kalendas Februarii anno primo Pontificatus. Hæc fol. CXV.

Nuntii prō diuersis negotiis in Sicilia soliti commorari.

Alia bulla insuper, qua datur facul-

tas eidem Nuntio abſoluendi excommunicatos ob violẽtas manus iniectas in clericos. Data Romę vt ſupra, fol. CXVII. & fol. CXIX. habentur inſuper litteræ Apoſtolicę, quibus datur facultas Nuntio Apoſtolico in regno Siciliæ colligendi decimas. Datæ habentur Romæ tertio Kalen. Februarii anno primo.

Nuntii exactores.

Rurſum alia bulla, qua datur facultas eidem Nuntio in Sicilia conſiſtenti, exigendi charitatiuum ſubſidium ab omnibus bona Eccleſiaſtica poſſidentibus, pro ſupportandis Apoſtolicæ Sedis oneribus. Data Romæ tertio Kal. Feburarii, anno itidem primo Pontificatus eiuſdem. ibi. fol. CXXV. Eidem Nuntio facultas mittitur concedendi commeatum octo nauibus Alexandria ſoluentibus. ibid. fol. CXXIX. & CXXXI. Facultas eidem Nuntio datur diſpenſandi ſuper defectum natalium. fol. CXXXI.

Anno verò ſecundo ipſius miſſus reperitur in Siciliam ab eodem Pontifice Nicolaus de Summa ripa ad componẽdas controuerſias eiuſdem Siciliæ re-

gni.

gni. Extat de his bulla data Romę quarto Nonas Iulii. fol. CXXXV. & sequēti fol. CXXXVI. facultas concessa componendi cum proceribus, de censibus non solutis Romanæ Ecclesiæ debitis. Quo pariter anno deputatur ab eodem ad regnum Siciliç Raymundus de Baucio de Vrsinis Confalonerius Papæ. Est de his bulla data Idibus Augusti fol. CLXI.

Anno autem Pontificatus quarto aliædatę habentur litteræ Apostolicæ quarto Kalendas Decembris ad Apostolicę Sedis Nuntium, cum ei tribuũtur pro expēsis quotidianis decem floreni aurei à Clero eiusdem regni exigendis: Extant fol. CCXXII. libro secundo.

Libro verò tertio bullarum eiusdem Bonifacii Papæ Noni est bulla de Cōmissario deputato in Siciliam contra occupantes bona Ecclesiæ Panormitanæ. Data Romæ Idibus Nouembris ãno septimo, ibid. fol. X. qua die etiam habetur data alia bulla de simili cōmissione contra occupatores bonorũ Sedis Apostolicę in Sicilia.

Nuntij defensores rerum ecclesiæ.

K

Libro vltimo Clementis papæ Sexti diploma extat, quo Guillelmus Episcopus Nazarenus deputatur Nuntius Apostolicę Sedis; & Collector in regno Siciliæ vltra Pharum loco Theobaldi Archiepiscopi Panormitani defuncti. Datum habetur Auenione tertio Kalendas Februarii anno primo. ibid. fol. DXXXII.

Exactores spoliorum constituti in Sicilia.

In eodem Camerali Tabulario inter monimenta Innocentii Papę Sexti habetur bulla, qua committitur Apostolicæ Sedis Nuntio in regno Sicilię cõmoranti exactio spoliorum defuncti Episcopi Agrigentini. Data vndecima Kalendas Feburarii anno quarto Pontificatus eius. ibid. fol. CXCII. & duodecimo Kalendas Martii. Eodem anno quarto Põtificatus eius habetur data bulla, qua committitur Episcopo Catanensi exactio omnium spoliorum Sicilię.

Eiusdem verò Innocentii Papę Sexti tempore Nicolaus de Aragonia S. R. E. Cardinalis, commentarium scripsit de iurisdictione quadruplici demõstrata Romanæ Ecclesiæ in regnum Si-

ciliæ. Extat volumen antiquitus scriptũ in Vaticana bibliotheca, vnà cum aliis eiusdem auctoris commentariis.

Successor Innocentii Vrbanus V. reperitur misisse Nuntium & collectorẽ decimarum in Siciliam vltra Pharum Dominicum de Sassonorio canonicũ Beneuentanum. Extant de his eius litteræ datę anno Domini millesimo trecentesimo sexagesimo octauo, Pontificatus eius anno sexto, die decima sexta Maii.

Ex libro tertio Apostolicarum litterarum Ioannis Papæ vigesimi tertii extant litteræ Apostolicę, quibus Arago de Malaspina decernitur Reformator in regno Siciliæ in rebus tẽporalibus, cui pro expensis persoluantur vigintiquinque floreni à Clero Siciliæ qualibet die. Conceditur eidem facultas cõferendi canonicatus & alia beneficia Ecclesiastica. Datæ habentur litteræ decima quinta Kalendas Nouembris, anno secundo eius Pontificatus. fol. CXVI.

Reformatores missi in Siciliã.

Insuper etiã consueuisse frequenter Apostolicam Sedem in Siciliam Col-

Collectores missi à Romanis Pont. in Siciliam.

lectores mittere, cum vetera recensita, tum recentia sunt exempla. Extant enim in eodem Tabulario Camerali Martini V. litteræ Apostolicæ, quibus quidam Cypressus Balauerius deputatur in Sicilia Collector redituum & fructuum quorumcunque Cameræ Apostolicę debitorum. Datæ habentur Constantię, decimo Kal. Octobris, anno primo Pontificatus eius. ibid. fol. 11.

Nouissimè verò reperitur, quod Paulus Papa Tertius misit etiam speciatim in Siciliam Collectores Tobiam Palauicinum, & Lucam Iustinianum deputatos ad colligendum subsidium medietatis veri annui valoris (vt verbis vtar litterarum Apostolicarum) omniũ fructuum beneficiorũ ecclesiasticorũ. Missi sunt autem ijdem idipsum præstare per vniuersam Italiam : adeò vt nihil minus iuris in Sicilia, quam in ceteris Italię prouincijs vsque ad nostra tempora sibi Pontifex vẽdicaret. Quod quidem de his scriptum diploma extat in libro impositionum Cameræ Apostolicæ, datum in eadem Camera Apostolica, vltima Februarij, anno Domini

millesimo quingentesimo quadragesimotertio, pontificatus verò ipsius anno nono. ibid. fol. CLIV. Ista sunt quę spectant ad ipsum rerum vsum, quæ cursim rem agenti licuit reperisse.

Si autem Deus concesserit, vt in Annalium prosecutione futura tempora disquiramus, locupletiorem de his tractationē pollicemur ex vberiori messe colligendam, quibus appareat, quantā scriptis omnibus reclamantibus, iuribus omnibus contradicentibus, cœlo terraque testantibus, Apostolica Sedes in regno Siciliæ patiatur iniuriam, & sentiat suorum iurium detrimentum, & inauditam hactenus inter Catholicos ignominiam subire cogatur, rebus ipsis (quod est grauius) in deterius prolabentibus. Nam quæ est in his graue passa dispendium, & adhuc grauiori in dies in eodem regno afficiatur opprobrio, iamque à tempore Caroli V. experta planè intolerabile in spiritualibus & temporalibus damnum, cùm in temporali dominio domina ignoretur, & in spirituali esse nesciatur, quod est, Vniuersalis Ecclesia; cùm in his quæ

Auctoris iustæ querelę promouendæ.

pua Ecclesiæ Romanæ iura inuenirentur esse disposita. Nam audi quę mascula voce, energia virili, vigore sacerdotali in Henricum Imperatorē, istiusmodi iura Ecclesiastica inuadentem Desiderius, idemque Victor Papa Tertius, cùm ei in faciem restitit, verba protulit: b *Sedes enim*, inquit, *Apostolica domina est nostra, non ancilla, nec alicui subdita, sed omnibus prælata; & ideo nulla omnino ratione sub iugum à quoquam mitti potest. Quod si à Nicolao Papa factum est:* scilicet vt arbitrium expectaretur Imperatoris in electione Romani Pontificis, quod vt dictum est, falsò prętendebatur: *iniustè profectò & temerè præsumptum est: non tamen cuiusquam stultitia vel temeritate amittit Ecclesia dignitatem suā.* Hæc ipse. Quæ etiam eodem tempore Deusdedit Cardinalis tituli Eudoxię (de quo suo loco dictum) scripto insigni volumine ad eundem Victorem Tertium Papam, pluribus argumentis asseruit. Sed & S. Brunus Episcopus Signiæ, & cum eo plurimi alij Episcopi & Cardinales in Concilio Romano coegerunt Paschalem Papam reuocare,

b *Chron. Cass. lib. 3. c. 49.*

quæ contra Romanę Ecclesiæ iura promisisset Henrico Imperatori, vt suo loco inferius dicturi sumus.

Cum alioqui in confesso sit apud omnes, priuilegia ab Apostolica Sede collata, non debere contra eandem Ecclesiam militare. In quam sententiam Nicolaus Papa, idemque Sanctus, eius nominis Primus, in decretali epistola, quam scripsit ad Henricum Archiepiscopum Turonensem, quam superius suo loco reddidimus, vbi agit de priuilegio ab Apostolica Sede cōcesso Rhemensi Ecclesiæ, quo eius Archiepiscopus Hincmarus contra ipsam abuteretur, hæc inter alia habet: *Sic Apostolica Sedes aliena iura custodit, vt sua non minuat; sic honorem debitum dat, vt suum non tribuat alienis. Nam & arma illi à nobis collata, ita volumus vt pro eo sint valida, vt potius pro nobis, vbi necesse est, non contra nos firmitatem obtineant.* Hęc ipse, qui de priuilegio Apostolicæ Sedis agēs, quod ipsa pręsideat Ecclesijs omnibus, & ab omnibus exigat obedientiam, hæc habet, scribens ad Carolum Francorum Regem: *Quæ tanta Sedis Apostolicæ pri-*

uilegia vsque ad mortem, ope freti diuina, prædecessorum meorum vestigia sequendo, cassari taliter minimè patiemur. Et quod ad eam omnes appellandi, nullius obice priuilegij, habeant facultatem, subiicit ista: *Priuilegia namque Romanæ Ecclesiæ, totius sunt Christi (vt ita dicamus) remedia Ecclesiæ Catholicæ: priuilegia,* inquam, *Petri arma sunt contra omnes impetus prauitatum, & munimenta & documenta domini sacerdotum, & omnium prorsus qui in sublimitate consistunt, immò cunctorum qui ab ijsdem potestatibus diuersis afficiuntur incommodis.* At tanta ista Deo accepta, qui eorum est auctor, Angelis & hominibus reuerenda, qui in eorum semper custodiam vigilarunt, ab ipso exordio nascentis Ecclesiæ vsu recepta atque probata, vnius, sed mutilati, nihilque huiusmodi concedentis, diplomatis occasione adducenda sunt in discrimẽ, exponẽda ludibrio, atque penitus abolenda? At aboleri non possunt quę viuunt in radice sua; sed qui pręciditur ex eis ramus arescit.

Quæ rursum ratio postulat, vt cõtra tot Romanorum Pontificum anteà &

posteà data diplomata vnum proponatur, deprauatum, omninò concisum, nunquam à successorum aliquo confirmatum diploma Vrbani papæ, idemque etiam si germanum, legitimumq. fuisset, iam in Rogerij hęredibus desinens, nullius alterius Romanorum pontificum confirmatione roboratum, immò contrariis penitus cõstitutionibus rescissum & abolitum, post tot secula obliuione sepultum, à nemine Regum, qui contra Sedem Apostolicam pugnauerunt, nec nomine tenus cognitum, nedum exhibitum vel citatum: hoc ipsum, inquam, hoc seculo nostro sub Carolo Quinto, ad erigendam contra Romanam Ecclesiam Monarchiam emerserit rediuiuum? Cuius occasione flamma semel incensa in dies magis magisque maioribus incrementis Siculam depascat Ecclesiam, de qua illud propheticum iure occini possit: [a] *Oliuã vberem, pulchram, fructiferam, speciosam vocauit Dominus nomen tuum: ad vocem loquelæ grandis exarsit ignis in ea, & combusta sunt fruteta eius.* At quæ loquela grandis? vtique malè vsurpatum Mo-

a *Ierem.* 11.

narchiæ infaustum nomen, quo eadem infelix Ecclesia veluti igne consumpta, redacta suspiret in cinerem. Vnica nobis reliqua spes in nostro Zorobabel, in Philippo Tertio, qui incensum restituat templum, & efficiat, vt [b] maior sit gloria domus huius nouissimæ quam prioris, qui [c] & exæquet magnum superbiæ montem in planum. b *Agg.* 2. c *Zach.* 4.

Quod vtique æquum est me sentire de tanto Catholico Rege, pietate insigni, virtutum omnium corona fulgente. Cui in his explendis faueat, rogemus iugiter, Spiritus sanctus. Hęc nobis occasione Vrbani Papæ diplomatis dicta sunto simplici stylo, candore animi, ex [d] corde puro (Deum testem inuoco) conscientia bona, & fide non ficta. Ceterum sciat Lector, nos ista hîc obiter occasione Vrbani Papę diplomatis pertractasse: verùm de his quæ ad inuestituras Romanorum Pontificum de regno Siciliæ vltra citraque Pharum posita spectant, prolixior atque lucubratior tractatio erit, cùm ad ipsa earum tempora, quibus datæ noscuntur, peruenerimus, simulque reliqua omnia, d 1. *Tim.* 1.

quæ siue per Legatos vel Nuntios, aut per epistolas cum Regibus, vel Episcopis, Abbatibus aliisue religiosis personis vel laicis ab ipsis Romanis Pontificibus sunt transacta, maiori otio, opportuniorique occasione, reddentes cuncta temporibus suis, ex instituto, omni fide constantia in medium afferemus. Iam verò canentes receptui, quę post Vrbani Papę datum diploma Salerni sunt secuta, narremus.

ASCANII CAR-
DINALIS COLVMNÆ,

EORVM.

QVÆ CÆSAR CARDI-nalis Baronius de Monarchia Siciliæ ſcripſit iudicium.

OBtuliſti mihi, ex Hiſpania redeunti, XI. ac poſtremum typis impreſſum Hiſtoriarum tuarum Tomum. Plurimis rogaſti precibus, vt quæ de Siciliæ Monarchia ſcripſeras, excurrerem attentius, & quæ mea de illis eſſet ſententia, liberè declararem. Statim, vt id aggrederetur, cupidus hinc me meus tibi gratificãdi animus impellebat: hinc verò, vt ab incepto deſiſterem, ſuadebat imbecilla totius corporis, præcipuè oculorum valetudo, defatigatio immenſo mihi itinere parta, domeſticarum, & externarum occupationũ innumera multitudo.

Hoc tu verò, quo tempore, diurnis curis vacuus aliquid prǽstare possem, crurium & brachiorum dolor nocturna fluxione ortus, sic me torquet, vt omnem planè mihi, & legendi & scribendi vsum adimat. Accessit Marci Antonij Columnensis familiæ Principis pronepotis mei, diuturnus, ac pene mortalis morbus, quo illi grauior, & periculosior, eo mihi molestior, & ad ferendum durior. Verum ad hæc studia dictante natura, prima ab infantia conformatus & cum non cõmittam, vt huiusmodi officia desiderare à me quisquam possit, sic velim existimes, mea in hoc genere opera, nec tibi defuisse, nec vnquam esse, in re qualibet defuturum. Quod enim in ipsa iuuẽtute Carolo Sigonio, Marco Antonio Mureto, Iacobo Cuiacio adulta, ætate Francisco Bencio, Iusto Lipsio, Ariæ Montano, & Aloysio Legionensi, ac demum Augustino Valerio, & Gabrieli Paleotto, amplissimis Cardinalibus petentibus impertiui, cur tibi roganti negarem, & eruditione dicendique laude illis

quam ſimillimo, & virtute pręclaro, & mihi eorundem ſtudiorum vſu, atque eiuſdem dignitatis ſplendore cõiunctiſſimo? Itaque dicam quid ſentiam ingenuè pro mea conſuetudine, libenter, pro ſingulari in te mea obſeruantia: certiſſime ſperans forè, vt quidquid dixerim, cum maximo ab amore in te meo proficiſcatur, pro tua Chriſtiana prudentia, & gratum tibi & ratum putes. Materiam quidem cæpiſti rei Chriſtianæ perutilem, nobilẽ, & præclaram, ſed vt ea pretioſior & iucundior ſit ingenii eruditione, eloquentiæ tuæ præſtantia conſequeris. In cæteris Hiſtoriarum partibus immenſis ac plane infinitis, tui nunquã non ſimilis, eruditus, grauis, & eloquens, in hac vero tantus es, vt in illis certare cum aliis antiquitatis ſcriptoribus, in hac te ipſum vincere voluiſſe videaris. Quodcunque multorum annorum ſpatio tot abhinc ſeculis geſtum eſt, geſtum dico? Quodcunque à quouis priuato homine ſcriptũ, cogitatum, ductum, tui beneficio in noſtram memoriam reuocatur, idque

abs te miro suo quidque ordine comprehensum, & tanquam in conspectu nostro positum agnoscimus. Vtinam quod te eruditio, duro, ac nimis acri stylo, vt hęc scriberes, impulerat, siue id fuerit tua in Ecclesię bonũ caritas, siue suprema, id tibi imperandi potestas, siue spectatissimus tuæ dignitatis gradus, vrbanius omnia dicere suasisset! Et satis veritati fecisses, & Ecclesię fortassè magis consuluisses, & quæ multi nunc improbant, volentes, nolentesque sibi probata susciperent. Magni sanè refert, quo quidque modo dicatur, & fiat, & ad omnes res non paruum habere momentum solet ratio quędam & methodus. Vt enim in pictura, certo modo lineamẽta oris expressa delectant, ijsdemque alia ratione depictis, non item eorum qui spectant tenentur oculi; & vt in musica, cum suo quæque modo vox flexa suauiter exprimitur, iucundá audientium aures armonia complentur, eædemque grauiter offenduntur, si modus ille, aut contentioné vocis aut alteratione mutetur, & motus corpo-
ris

ris incompositus irridetur, qui moderatione sibi debita temperatus omnium in se ora oculosque conuertit. Demum, vt ingenium, non quia ipsius motus, ad cogitandum acuti, vberes ad explicandum, ad memoriã firmi, magnum propterea arguitur, sed suaui ac modesta eorum, quæ inuenerit, explicatione & ipsius magnitudo ostenditur, & scientia declaratur: sic ea quæ dicimus, mirum est, quantum dicendi modo commendentur, vt interdum plus in modo, quam in ipsa re dicta, positum esse videatur. Eoque magis cauendum est, cũ duæ occurrunt opiniones, sibi inuicem aduersantes, quarum vnaquæque suis se rationibus tueatur, grauissimorum hominum consensu probata, temporis diuturnitate recepta, ac demum tot summorum Pontificum permissu, regia potestate vallata, tum enim qui vnã probarit alteri omni verborum asperitate deposita veris argumentis & rationibus obsistat. Ita nec irritantur aduersarii: quinimo accidit interdum, vt comitate differentis, à suæ mentis opinio-

ne dimoti quod illis proponitur, tanquam verisimilius ãplectãtur. Nã quẽadmodũ equi aduersus penũ cõtumaces, interdum sessore habenas remittente consistunt, sic quos orationis asperitas frangere non potest, sæpè clementia inflectit, & qui terrore & seueritate domari non possunt, indulgentia, & facilitate mitescunt. Hinc sanctissimi patres, cum hæreticis congressi, id vnum propositum habebant, vt quę illi, summa petulantia, ac procacitate verborũ diffidebant omni ipsi modestia, atque iræ remissione improbantes, Christianæ fidei veritatem tuerentur. Hosque, vt idem agamus, etiam atque etiam hortantur. Gregorius quidem Nazianzenus Christianos asserit, nec nimis feruidos, nec nimis segnes esse debere. Hac enim, inquit ratione fiet, vt nec ob defectum steriles & infrugiferi simus, nec ob excessum periclitemur. Æquè namque inutiles sunt iners, ac supina segnities, & imperitus feruor: Illa ad bonum minimè accedẽs, hic autem vlterius cadens. At Basilius seruus domini, inquit, non oportet

litigare, ſed manſuetum eſſe, erga omnes, aptum ad docendum, cum modeſtia corrigentẽ eos, qui reſiſtunt. Quod Hilarius egregie docet, quænam ex illo modo oriantur incommoda. Non eſt ambiguum (inquit) omnem humani eloquij ſermonem contradictioni obnoxium ſemper fuiſſe, quia diſſentientibus voluntatum motibus diſſentiẽs fit quoque ſenſus animorum. Quod ſi qua in re ſeruandum eſt, in ijs præcipuè ſermonibus, qui maximos in Reges inſtituuntur.

Innumerabilis enim copia ſuppetit eorum qui ad illos tuendos exquiſitiſſimis rationibus excitentur. Sed quid ſanctos commemoro? ipſi prophani authores, quibus nondum vllus Chriſtianæ veritatis ſplendor illuxerat, hanç modeſtiam in omni ſermone, obſeruãdam eſſe prçcipiunt. Audi Tulliũ. Sed quoniã, inquit, in omni vita rectiſſime præcipitur, vt perturbationes fugiamus, id eſt motus animi nimios rationi non obtemperantes, ſic eiuſmodi motibus, ſermo debet vacare, ne aut ira exiſtat, aut cupiditas aliqua aut pigritia

aut ignauia, aut quid tale appareat: maximeque curandum est, vt eos, quibus cum sermonem conferemus, & vereri & diligere videamur. Pressius & clarius alibi. Omnis igitur (inquit) hac in re habenda ratio & diligentia est; primum vt monitio acerbitate, deinde vt obiurgatio contumelia careat. De oratore vero in iaciẽdo ridiculo, ait, parcendũ esse dignitatibus. Quod si in ridiculo, quid in re graui? Tacitus vero Agricolam cum multis, tum hoc vno maximũ virũ prædicat, quia esset cultu modicus, sermone facilis, idque alibi à quouis sũmo viro expetit, sit, inquit comis sermo. Mitto Sallustium, qui malam opinionem mortalium mentibus insidentem radicitus euelli, docendo magis, inquit, quam iubẽdo, monendo, quàm minando.

Nam quid de Seneca dicam? Quo magis Seuera oratio, eo minus oratori fatetur fidem haberi, & in dicendo, & quauis in re, amittit inquit assiduitate seueritas auctoritatem. Demum alijs amissis, vnam eiusdem Sallustij sententiam proferam. In maxima inquit di-

gnitate,minima licentia,neque ſtudere neque odiſſe, ſed minimè iraſci decet, quiapud alios zelus ſeu iracundia dicitur, in imperio ſuperbia appellatur. Quod ſi cuiquam obſeruandum, nobis certe,in hac maxima & Eccleſiaſtica dignitate ſummæ proxima conſtitutis. Non me fugit interdum ſanctos patres, cum de re fidei ageretur,in hæreticos acerrimè, nullius habita ratione diſſeruiſſe,quos & rectè feciſſe & ita facere decuiſſe fatemur omnes. At hic nec de fide agitur, nec de bono ab Eccleſia vſurpato,ſed ex grauiſsimorum hominũ opinione permiſſo. In Regem vero diſſeritur, à maioribus ſanctiſſimis & maximè Catholicis ortum, religioſiſſime educatum,ſumma in Deum pietate, ſingulari morum probitate; egregia animi moderatione præditum, Obediētia veró,& in hanc ſanctam Romanam ſedem obſeruantia tanta,quanta in priuato homine,in religioſo viro, nedum in Principe potentiſſimo poſſet optari. Sed dices,quænā ſunt iſta quæ me acri-
„ ter nimis dixiſſe putas? Primo quidē
„ pag. 680, ſub vocabulo,inquis Mo-

„ narchię, præter Monarcham vnum,
„ quod vnum caput visibile in Ecclesia
„ est cognitum, aliud in Monarchia Si-
„ ciliæ obortum, pro monstro & osten-
„ to caput Ecclesiæ. Dura nimis & acerba videntur, vt cuius in vna potentia, & maxima in Deum pietate Ecclesia vniuersa innixa tuto conquiescit, is tandem Ecclesiæ monstrum dicatur & ostentum. Nec eorum dissimilia quæ nō
„ multo post sequuntur. Quod nec à
„ Tyrānis ipsis, Ecclesiæ Romanę per-
„ duellibus, neque ipsis acerbissimis
„ Romanæ Ecclesiæ persequutoribus
„ Monarchiæ nomen vsurpatum. Quo
„ fit vt Rex Hispaniæ Tyrānis & Eccle-
„ siæ hostibus deterior sit, qui vnus eò Regnorum suorum neruos, eò sensus omnes suos cogitationesq. conuertit, vt barbaros omnes Christiani nominis hostes opprimeret, ceteros vero Christianos reges suo in officio contineret.
„ Pag. vero 662. Absit longè vt Mo-
„ narchiæ illius dicatur Vrbanus Ere-
„ ctor, in contumeliam Dei, & oppro-
„ brium Apostolicæ sedis. Nec qui Monarchiam hāc Apostolicæ sedi sub-

ordinatam tuentur,nec qui de illa ſcripſere, Deum aut Apoſtolicam ſedem aliqua vel leuiſſima contumelia afficere voluiſſe putem. Nam Rex qui ea nunc potitur & fruitur, tantum abeſt, vt id aliquādo cogitaret, vt omnia ſua regna ruere mallet,quam aliqua aut Deo, aut huic ſacro ſāctæ ſedi,ipſo annuēte inferretur iniuriæ nota. Mitto illa pag.683. Iſta ſunt quæ manus audax ad ſacrilegiū prompta abſtulit à recitato Papæ diplomate. Taceo exclamationem Pag.684.
„ O fraudem ſolennem Cornelia lege
„ plectendam! Quid tibi Eccleſiaſtico viro Principem corrigenti cum Cornelia lege commune? Hęc ne præcepta hiſtoriæ? Hęc tibi debitę ſigna beneuolentiæ? Hæc ſacroſanctę ſedis modeſtiam, & Eccleſiaſtici Imperij vrbanitatem decent? Equidem id omne, & ab Hiſtorico & à viro tui ſimili, qui ad hunc honoris gradum euectus, prę cæteris ſę Chriſtianum Antiſtitem, pium, religioſum debeat profiteri, quam maximè alienum puto. Tandem illa pag. 695. admiratione dignum videtur, vnde emerſerit, vt falce Apoſtolica ſucciſi in-

felices palmites ijdem : & quæ sequuntur, & pag. 696. Imitantur plane atque sectantur, qui ijsdem, quibus illi legibus Siculam reuocant atque renouant Monarchiam, vide quam longe absint ab illorum imitatione. Monarchiam illi, sede Apostolica obnitente, si multorũ annorum, ac sęculorum spatio, Pontifice permittente, tuentur, illi dum se Monarchas crearent, Romanum Pontificem, nullius potestatis esse asserebãt; at Rex Hispanię, ceterique qui illum Monarcham Siciliæ esse prędicant, & Monarchiam à summo Pontifice diplomate acceptam, & ipsum Romanũ Pontificem Christi vicarium, omniũ, Dominum esse fatentur, & quauis in re, & obsequuntur & parent. Pręterea hęc nec quidquam historiæ prosunt, & vix credi potest, quantum & ceteri quibus contraria probatur opinio, & regius ipse animus irritetur. Quę quidem omnia quicunque perlegerit, asseret potius in Monarchiam te esse, & illius asseclas acerrimè inuectum, quam huius rei historiam scribendam suscepisse. Forsan respondes, te non contra Regẽ,

ſed contra Monarchiam, & illius aſſeclas hæc dicere inſtituiſſe, quod in ipſo hiſtoriȩ huius profiteris ingreſſu. Verũ quis maior aſſecla, quam ipſe Rex? Qui non ignarus Monarchiæ perſonam, à maioribus ſuis, hæreditario iure acceptam, tot Pontificum auctoritate permiſſam, grauiſſimo doctiſſimorum hominum iudicio probatam, ſuſtinet, tuetur, & regit. Hæc ipſe aſtero, meo ingenio parta, aliorum plurimorum auctoritatibus dedita opera omiſſis, ne tecum agerem contendendo, ſed potius tibi obſequendo, id à me ſcriptum agnoſceres. Neque enim minora poſſent, aut pauciora contra te, pari ſtylo atque orationis libertate referri. Præſertim cum me magis deceret, plurima & grauiſſima quæque, in vnum congeſta proferre, quibus contra hanc tam vberiorem dicendi licentiam Regem Catholicũ pro viribus tuerer, quàm te tam multa contra Auguſtiſſimam illius maieſtatem inueniſſe, quæ diceres, ea abs te rogatus, tibi offero, ſperóque forè, vt quȩ ego amore, ac Chriſtiana pietate & legi & ſcripſi, eadem tu, & oblata excipias, & legas excepta.



CARDINALIS BARONII RESPONSIO APOLOGETICA ADuersus Cardinalis Columnæ iudiciū de Siciliæ Monarchia in XI. Annal. tomo.

LVbrica res est concordia fratrum. Hoc sentiens magnus ille Patriarcha Iacob filios suos in Ægyptum peregrinantes admonuit, dicens: [a] *Ne irascamini in via.* Et quia res est magni momenti, hinc ait Ecclesiasticus: [b] *In tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo & hominibus, concordia fratrum, &c.* Hanc ipsam sartam tectam inter nos cupiens, in mentem reuoco illud Iacobi Apostoli, ne sit inter nos zelus amarus & contentio; [c] *Vbi enim* (inquit) *zelus & contentio, ibi inconstantia & omne opus prauum.* Vincat inter nos veritas, superet charitas, & sic

a Genes. c. 45

b c. 25.

c c. 3.

erimus ambo, nō victi sed victores, hac sācta triumphantes biga salutis. Quod enim permolestus esse soleat auribus audientium eiusmodi horrisonus cardinum stridor, inuitus trahor (Deus scit) nolens adducor, obtorto, vt dicitur, collo ad defensionem iustissimam scriptorum meorum, quæ pro conseruatione Ecclesiasticæ libertatis, tuendisque Romanæ Ecclesię iuribus, publicè scripsi, iubente Pontifice summo, & promulgaui. Si enim ea indefensa relinquerem, idem penè esset ac si dānarem, præuaricatoris nomine dignus, dicente Apostolo: [d] *Si enim quæ destruxi iterum hæc ædifico, præuaricatorem me constituo.* Cæterum, & quod in eo statu sum positus, vt neque si ipse magnopere velim, existimationem meā prodigere possim, cum id conuerterem in dispendium alienum: ne molestè accipias, si per immensas illas tuis scriptis sparsas in me calumnias, non aliunde, quam ex iisdem editis à me scriptis, ex quibus sunt abs te petitæ, refellam quā modestissimè licet. Rem igitur aggressurus, libenter te, Domine Frater ver-

[d] Gal.

e Philip. c. 4 bis illis Apostoli interpello, [e] *Vt pax Dei quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda nostra, & intelligentias nostras in Christo* I E S V *Domino nostro.*

Iam verò, in quibus nostra scripta
I reprehendis, suo ordine proferamus in medium. Post multa autem ad excusationem præfatus, hæc habes: VTINAM QVOD TE ERVDITIO, &c. vsque
f 1. Timoth. c. 1. SVASISSET. Certe quidem[f] *Charitas* (ni fallor) *de corde puro, conscientia bona, &*
g 1. Corint. c. 13. *fide non ficta*, id præstare suasit: [g] *Charitas, quæ congaudet Veritati ad ista nos impulit*; Ipsaque zeli nomen accipiens cum potentius vrget & vehementius dominatur, fomenta maioris ardoris sumens ex Ecclesiæ bonis pessundatis, ex eiusdem in primis libertate iamdiu exule, iuribusque eius ceteris vndique profligatis, meis exæstuans in præcordiis, ad ea cuncta scribenda ex officio debito requisiuit, importunè exegit, compulitque potenter, ex debito, inquam officio, quod non nisi iuratus, ista tueri, amplissimæ dignitatis sum insignia cõsecutus. Ita plane ignis deuorans intima cordis, in amaritudine ani-

mę meæ ita loqui, clamare interdum, & exclamare aliquando, violenter extorſit. Etenim ſumma eſt & inſuperabilis zeli tyrannis, quæ rapiat quem poſſidet, atque conſummet. Audi querelas ab eo correpti Prophetæ: [a] *Tabeſcere me fecit zelus meus.* Sed deſinet mirari hæc, qui eius ſummam potentiam nouerit, quam ſibi vindicet contra Omnipotentem. Habetur de his conſtans exemplum apud [b] Euangeliſtam, cum Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM, manſuetum & humilē coegerit, rabido morſu, cor exedente zelo, poſt redargutionis verba, verbera quoque infligere delinquentibus, cum & qui aderant recordati ſunt diſcipuli eius, quia ſcriptum eſt: [c] *Zelus domus tuæ comedit me.* Neſcit zelus imperioſus parcere ſaltem Deo; neſcit zelus iſtiuſmodi agere ea temperatione, quam tu dicis vrbanitatem, ſed à ſe poſſeſſam piè, ſanctęque iraſci, & clamare compellit: nam ex Iſaia audi, quid ſit operatus in ipſo Deo, cum zelum aſſumpſit: [d] *Tacui ſemper* (inquit) *ſilui patiens fui:* accedente autem zelo, mox addit:

a Pſal. 118.
b Ioan. c. 2.
c Pſal. 68.
d. Iſa. c. 42

Sicut parturiens loquar, dißipabo & absorbebo simul: Et quæ sequũtur auditu horrenda. Si tanta vis zeli, vt sic effari impellat omnipotentem, silere ne poterit homuncio vel vrbane dicere, vt nõ exclamet, cum ipse zelus impetuosus, sicut & imperiosus accesserit? quo nomine certe & apud te & alios omnes me oportuit redditum excusatum, immo & laudatum, si ita aliquando imperio cessi ipsius zeli, ex diuinæ scripturæ
e. *Genes c.* verbis illis argumento deducto e si cõtra
33. Deum prçualuit, quomodo non magis contra homines præualebit? præter zelũ autem, vt probe subijcis, ad scribẽdum impulit iussio Pontificia, & ad hoc ipsum præstandum iuramento deuincta dignitas Cardinalatus, quç hçc omnia, zelo dominanti debitum oportuit exoluisse tributum. Diximus dominãtem haud improprie. Testor enim omnipotentem Deum, me animo statuisse rem tantam agere quam suauissime & paccatissime; Sed quod rei argumtu m exigeret, & æternus morbus acredinẽ potius exposceret sinapismi; non quod proposui, sed quod zelus scientia po-

tens violento dominio imperauit, numine impellente, præter sententiam, quomodo, Deus scit, sum coactus implere: sicque eam, quam aperuit viam zelus secundum scientiam, sumus ingressi: cum quęcunque à nobis dicta sunt, in omnibus sint consentientia veritati certis testificationibus demonstratæ. Pergis autem.

II.

Et satis veritati fecisses. Si videlicet vrbanitatem, quam dicis, dicendo sectatus essem. Dicam liberè, & ostendam exemplo, nequaquam satisfieri veritati, si cum iustus zelus reprehensionis acredinem exigit, vrbanitas illam dulcedine temperat, nullius vigoris efficiens, quod efficax esse poterat purgare delictum. Accipe de hoc ex diuinis scripturis exemplum? f Non ob aliam causam Heli sacerdos summus infelicissime periclitatus est, nisi quod filiorum immaniter delinquentiū correctionem, quę esse debuisset acerrima, temperauit vrbanitate, quæ perdidit penitus omnem vigorem eius, adeò vt per eam magis aggrauatum fuerit delictum, quam sublatum, dicente diuina

f. c. 1. Reg. c. 23.

ſcriptura: *Propter iniquitatem, eo quod nouerat indigne agere filios ſuos, & non corripuerit eos, idcirco iurauit domui Heli, quod non expietur iniquitas domus eius victimis & muneribus vſque in ſempiternũ.* Hæc omnia ac tanta mala, quod (vt audiſti) non corripuerit ipſos, ſed tantum vrbane reprehenderit, licet nec aculeo penitus caruerit illa reprehenſio, qua
Ibidem. dixit: *Quare res facitis huiuſcemodi, quas ego audio, res peßimas?* Aſpera ſane iſta reprehenſio, quam & magis reddidit aculeatam, cum ſic eam cote acuminauerit diſciplinæ, ſubdens: *Si peccauerit vir in virum, placari ei poteſt Deus: ſi autẽ in Deum peccauerit vir, quis orabit pro eo?* Et tamen non eſt habita reprehenſio efficax, quia non zelo ſolum honoris Dei, vt par erat, ſed paulo mitius res eſt tanta tranſacta inopportuna vrbanitate. Sic igitur non ſemper ex vrbanitate ſatis fit veritati. Addis mox iſta in eadẽ perſtans ſententia.

III. Et ecclesiæ fortasse magis consvlvisses. Si videlicet rem egiſſem vrbanitate; Actum plus ſatis vrbanitate, precibus, beneficiis, obſequijs. mille modis

modis, nihilque penitus relictum intẽtatum, sed officia istiusmodi ne quid minimum profuerunt, obfuerunt potius, sicuti cum res est acta precibus à filijs a Israel, sub duræ seruitutis fasce gementibus, qui tantum abest quod leuamen aliquod fuerint consecuti, vt duplici onere sint oppressi: vera ne sint ista; plus satis quæ quotidie vndiq. perlatæ audiuntur querelæ gementium oppressorum insinuant, vt ea audientiũ & compatientium fratrum ex imo pectore ducta suspiria manifestant: atque ipsorum Pontificum animi æstus quos patiuntur, & fluctus mentis quibus exagitantur significant. At neque tanta poteris polliceri, vt vrbanitate quam requiris bene consultum fore dicas Ecclesiæ. O vtinam plaga tanta oleo curaretur! Hoc namque ego tibi sponte liberaliter obtulit, si memoria retines. Etenim cum mecum de his plane iisdem querelis ageres, quod videlicet nostra oratio esset aculeata; bene nosti, quid tunc ego responderim, nimirum quod cũ nostra accurate perlegisses, & quod tibi displiceret inuenisses: vna considẽ-

a Gen. 5.

tes ambo, eadem simul accuratissime disquireremus: Etsi quæ essent inuenta; quæ ex acredine scriptionis potuissent tibi displicere, paratus essem dũmodo absque iniuria atque dispendio veritatis fieri potuisset, cui inprimis consultũ in omnibus velim, calami ego ipse litura delere, & expungere omne quod pungeret, maximi loco ducens emolumenti, si adeo leui iactura veritas ipsa, hactenus coacta seruire, vindicaretur in auream libertatem exemplo & suasu
b Deut. 21. diuinę scripturę, [b] qua significatur ex præscripto sacræ legis ancillam seruiẽtem Hebræo sic transituram in libertatem, & inhæsuram ipsi petenti coniugẽ, si circũcisa fuerit vnguibus & abrasa cæsarie capitis: Circuncidatur ergo pro animi vestri sententia vnguibus veritas dummodo sit secura; quod ita sit in libertatem pristinam reuocanda, & honore coniugij honestanda: alioquin si hoc negetur, sua gradiatur ipsa ornata coma, armataque vnguibus quibus pungat. Innati sunt namque ipsi tanquam vngues stimuli, quibus vrgens erosa redditur & inuisa. Hinc illud A-

postoli ad Galatas, 4. (quod & mihi o. portune contigit dicere) *ego inimicus vobis factus sum verum dicens vobis*, sed sed non curo, eo quod Deum ipsum habeam pro tuenda ipsa veritate sponsorem cum dicat: *Veritas liberabit vos.* Ioan.8. Et per Ecclesiasticum, *Ne confundaris dicere verum, & vsque ad mortem pro iustitia certa, & Deus expugnabit pro te inimicos tuos.* Eccl.4.

IIII. Sed adiicis. ET QVÆ MVLTI NVNC IMPROBANT, VOLENTES, NOLENTESQVE SIBI PROBATA SVSCIPERENT. Non horum gustum sequar, neque tales cupio habere magistros: habeo quem magistrum imiter Dominũ nostrum Iesum Christum, de cuius dicendi modo hæc habet Euangelista: *Erat docens tanquam potestatem habens, non tanquam scribæ;* Marc. 1. nempe quod Christus esset magna libertate (vt omnes docent interpretes) in veritate prędicanda; Scribę autem Herodi regi adulantes, omnia pararent ad gustum ipsius. Absit, absit (dico verum) vt sicut scribæ scribam, & non sicut Christus annunciem libere veritatem. Habeo post Christũ sanctissimos

patres, quorum in scribendo sequar exemplum, qui infracta animi constātia, pro tuenda veritate aduersus eam pugnantes, non humili, eneruato, mollique stilo sunt vsi, sed grandi, fortique, miscentes etiam reprehensionum acrimoniam, in eos sententias aculeatas instar fulminis intorserunt. Sunt innumera horum exempla; annis ferme singulis in ipsis Annalibus Ecclesiasticis recensita: quorum ex vsu dum lego, frequenter atque describo, idem mihi dicendi genus inhæsit, quod haud despiciendum putaui, probe sciens illud dono spiritus, potius quam humana industria comparatum, sicque ea mensura discretionis adhibita, tunc sum vsus eo scribēdi genere, cum siue aduersus nouantes hęreticos schismaticosque agēdum fuit, aut in principes iura Ecclesiæ labefactantes, in seruitutem eandem Ecclesiam redigentes, vel cum dicendum aduersus disciplinę Ecclesiasticę corruptores, tuba cælesti auribus meis importune nimis propheticum illud
Esa. 58. personante: *Clama, ne cesses, & quasi tuba exalta vocem tuam, annuncia populo meo*

ſcelera eorum. Ad hanc nempe formam compoſitos eſſe debere, qui ſunt eligẽdi S.R.E. Cardinales, S. Bern. Eugeniũ Rom. Pontif. monet, nempe, vt tales ſint qui regibus inquit Ioannem exhibeant, Ægyptiis Moyſen, fornicãtibus Phinees, Heliam idololatris, Elyſæum auaris, Petrum mentientibus, Paulum blaſphemantibus, negociantibus Chriſtum: nimirum vt zelo ſemper in delinquentes armati, perdant vbiq. & quoſcunque operantes iniquitatem. Hæc eſt forma noſtra; ſpiritus ſancti penicillo delineata; vt qui huiuſmodi non ſumus, deformes penitus conuincamur.

Et poſt multa in eandem ſententiam allata ſunt iſta: EOQVE MAGIS CAVENDVM EST, &c. vſque AD VALLATA. Hęc tu ipſe. Magni intereſt quo animi affectu quæque legantur. Hinc Dominus ad legiſperitũ: [a] *In lege quid ſcriptum eſt. Quo modo legis?* S. Hilarius, qualis lector debeat eſſe ſic monet: *Optimus*, inquit, *lector eſt qui dictorum intelligentiam expectet ex dictis, potius quam imponat, & retulerit, magis quam attulerit, neque cogat di videri dictis contineri, quod ante lectio-*

[a] Luc. 10.

Hilar. lib. 1. de Trinit.

nem præsumpserit intelligendum. Hæc dixerim quod existimassem, post lectionẽ eius tractationis de Monarchia, te ad tuenda sanctæ Ecclesię iura in honestissimo bello nobis omnibus inhæsurum fortissimum commilitonem, imò quẽ sequeremur antesignanum & ducem, militari auctoratum iamdiu antea Sacramento: sed spes euanuit cum euenta noscantur cessisse opinioni nostrę contraria, dum absque quod nostrorum scriptorum, vel vna quęuis assertio abs te arguatur erroris iam tua sententia in æquilibrio, vtramque tua lance suspendis opinionem, imo & superexaltas cõtrariam Ecclesię iuribus, dum dicis de ipsa quod permissu Rom. Pontif. temporis sit diuturnitate recepta: protectorem & defensorem magnum agens, imo & iudicem pro Sicula Monarchia, quod fratres omnes. S.R.E. Cardinales malè accipiunt, & ipse redarguit iustissime summus Pontifex. Quam autem erraueris insigniter hęc affirmando, inprimis prouoco quemcunque veritatis amantẽ ad accuratã tractationẽ nostrę de Monarchia Sicula tractationis,

in qua citantur innumera ſacra diplomata Rom. Pótificum ſuo robore permanentia, tãquam ſi hodie ſtatuta fuiſſent. Nam decernente ſacroſancto Lateranenſi Concilio, ſub Leone x. Rom. Pontif. iſtis verbis: Contra Reges & Imperatores, & alios Principes ſeculares, ſupradictis pœnis & alijs cõtra violatores & oppreſſores libertatis Eccleſiaſticæ, etiã per extrauagantes, & alias eiuſmodi conſtitutiones incognitas, & forſitan in vſu non exiſtẽtes, impoſitis. Quarum omnium tenores pro expreſſis & inſertis habentes innouamus, ac perpetuum firmitatis robur habere decernimus, & declaramus: ac ſecundum eas per quoſcunque iudices S.R.E. Cardinales ſublata & adempta eis aliter iudicandi declarandique poteſtate, ſententiari, iudicare & interpretari debere volumus & mandamus, & quę ſequũtur, quibus quidem eadem Monarchia centies aboletur, diſſoluitur, irritatur. Certo certius ſcito, aſſertionem iſtam tuam quam adeo frequenter inculcas, eiuſmodi eſſe, vt ex nulla penitus parte ſubſiſtat, confutetur verò apertiſſimis

argumentis demõstrationibus quibuslibet certioribus.

VI. Quoniam vero totius rei sic cardo versetur, vt si abs te asserta non possit vllo pacto subsistere, sint inuenta, excidas tota causa: serius nobis agendum, firmissimisque testificationibus comprobandum nullo vnquam prętextu, nullo modo penitus dici posse, Siculam Monarchiam Pontif. Romanorũ permissione fulciri, neque vllo pacto asseri, eandem temporis esse diuturnitate receptam, quæ quamuis falsissima, tu tamen sæpe ingeris pro certis & exploratis. Miratus sum vehementer, quomodo si ipsam tractationẽ, de Monarchia legisti, & summorum Pontificum eidẽ repugnantia scripta citata in ea vsque ad præsens sæculum; eandemque destruentia Monarchiam peruidisti, ea dicere potuisti? Praxim ipsam Romanę curiæ tribunalium attendisti, in quibus contradicitur quotidie Monarchiæ, atque in ipsã pronũciationẽ sentẽtiæ, siue ab Apostolicæ Camerę auditore, siue ab auditoribus sacræ rotæ. Et cũ euidẽtiora de his extent adhuc monumẽta ob-

ſtupuimus valde, quomodo ſic dixeris, MONARCHIAM SICVLAM GRAVISSIMORVM HOMINVM CONSENSV PROBATAM, TEMPORIS DIVTVRNITATE RECEPTAM SVMMORVM PONTIFICVM PERMISSV? (Sunt enim iſta totidem verba tua.) Num te vnum præteriiſſe potuit celeberrimum de his documentum, publicæ litteræ Apoſtolicę, proceſſus Pontificij dicti vulgo Bulla in Cœna Domini, eo quod annis ſingulis die Cœnæ Domini ab vltimo Cardinaliũ Dyaconorum publicè recitari ſolita è ſublimiori loco coram ipſo ſummo Põtifice,& ſacro noſtro Collegio,ſpectante populo totius vrbis & orbis. In qua ſex ſaltem capita numerantur, quibus male præſumpta iura abolentur penitus Siculę Monarchiæ,& ſpeciali mentione aſſeritur ipſum Siciliæ rçgnum eſſe Rom. Eccl. idque primo loco poni poſt dominium vrbis,verbis iſtis: Itẽ excommunicamus & anathematiſamus omnes illos qui per ſe ſeu per alios, directe vel indirecte, ſub quocumque titulo vel colore, inuadere, deſtruere, occupare, & detinere præſumpſerint

in totum vel partem almam vrbem, Regnum Siciliȩ,& quæ sequuntur. Poteſtne locus eſſe Monarchiæ Siculę cõtra. Apoſt. ſedem ſi regnum ipſum integrum anathemate vindicatum (vt audiſti) eo modo, vt licet retinetur ab Apoſtolica ſede? Poteſtne dici quod tu dicis IPSAM MONARCHIAM PERMISSV ROMANORVM PONTIFICVM RETINERI, vel quod aſſeris TEMPORIS DIVTVRNITATE RECEPTAM? Quam autem potentiſſime ijs eædem litterę in omnibus refragentur ex inferius ſcripto capite iſtis verbis accipe. At quoad eos qui contra Eccleſiaſticam libertatem, vt præmittitur, ſtatuta fecerint, niſi prius ſtatuta, ordinationes, conſtitutiones pragmaticas & decreta huiuſmodi reuocauerint, & de Archiuijs ſeu capitularibus locis, aut libris, in quibus adnotata reperiuntur deleri & caſſari: ac nos de reuocatione huiuſmodi certiores fecerint, eos non comprehendere abſolutionem illam ſcilicet. Quin etiam per huiuſmodi abſolutionem aut quoſcũque actus cõtrarios, tacitos vel expreſſos, ac etiam per patientiam & tolerã-

tiam nostram, vel successorum nostrorum quantocunque tempore cõtinuatam, in præmissis omnibus & singulis à quibuscunque iuribus sedis Apostolicæ ac S. R. E. vndecumque & quandocumque quæsitis, vel quærendis, vllatenus præiudicare posse aut debere. Hęc ibi. At post hæc tanta, tanto pręcone promulgata, tantaque authoritate formata: tu Domine frater, potuisti illa ingessisse de PERMISSIONE ROM. PONTIFICVM, ET TEMPORIS DIVTVRNITATE, ET GRAVISSIMORVM CONSENSV HOMINVM? Adijciã quoque alia vulgatiora Quis insuper ignorat solẽnissimam, & celeberrimam illam actionem anniuersario die iterari solitam, qua etiam penitus penitusque abrogatur omnis asserta prætensio permissionis Romanorũ Pontificum, cum videlicet solemnissima die natali sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, in ipsa basilica Vaticana, spectante orbe, frequentiori cœtu; omnibus sese intra eandem Basilicam obtrudentibus, præsente summo hierarcha, Rom. Pontif. vnà cum sacro collegio S. R. E. Cardinalium, spectante

clero, ijs populoque Romano, simulq. magistratibus, legatus Regis Catholici solenni pompa offerret annuum censũ ipsi Pontifici pro regno Neapolitano: Ex improuiso Aduocatus fiscalis Apostolicæ sedis terrifica voce perstrepẽs, instar tonitrus. Nã ex antiqua formula totidem syllabis intonat verba solẽnia: Et ego N. sanctitatis vestræ & Cameręa Apostolicæ procurator fiscalis, protestor hunc cẽsum non recipi, quin imo reijci attenta caducitate, seu deuolutione vtriusque regni, tam vltra quã citra Pharum, & quatenus recipiatur non recipi sine preiudicio, tam sanctitatis vestræ quam sanctę sedis & Cameræ Apostolicæ, & non alias, aliter, nec alio modo. Hactenus ipse. Qui postea, vt omnia ista à clericis cameralibus in acta publica solemni forma, ritu consueto inserantur, instantius agit: & nequicquã de suo officio, quod ab eis est factũ postea accurate cognoscit. Fiunt ista, vt diximus, annis singulis, à superioribus sæculis in præsentem vsque diem. Quis ergo dicendi locus vel fingendi saltem vllatenus esse potest, possidere ipsum

Regem, Regnũ Siciliæ, & Monarchiã permiſſione Rom. Pontificum, iiſdẽ adeo publico tantarum ſolemnitatum obicibus oppoſitis in contrarium, tã-to niſu atque conatu, tam iugi perſe-uerantia, reclamantibus & contra-dicentibus, & penitus aduerſantibus?

Poſt vero male aſſertam permiſſio-nem Rom. Pontificum addis ad eiuſ-dem Monarchiæ defenſionem verba iſta: REGIA POTESTATE VALLATAM. Ipſam videlicet Monarchiam. At nos quid iuris non quid ſit poteſtatis no-ſtra illa tractatione diſſeruimus, vt mi-nime ad rem ſpectare noſcatur, quod excipis de poteſtate in potentiſſimo rege. De quo illud nobis verè, & non aliter exiſtimandum, rem ipſam agere bona fide, & quod iure potius quam poteſtate ſic retinere putet, quod poſ-ſidet ex hæreditate paterna, paratus (haud dubium) audire omnes, doceri monerique de iuſtitia ac veritate ſi ſit qui iſta (prout ſunt) in maieſtatis re-giæ inſerat aures, quod meis ipſe ſcri-ptis pro officio Regibus debito faciẽ-dum putaui; hacque ratione de ea- VII.

dem Maiestate bene sanctèque mereri non dubitans. Non igitur bene consulitur regiæ conscientiæ, si tantū potestate & non iure, Rex Ecclesiastica iura possideat, sed iure hereditario bonę fidei possessor existens, ad omnia corrigenda quæ iure careant, debet componere animum prout ad hęc pręstanda, si quis ingerat, bene compositum esse non dubitamus.

VIII. Post hæc vero ad eandem suggillandam MEAM DICENDI quam arguis LIBERTATEM, æque male interpretaris ACERBITATEM, *Sanctorum Patrum in me conuertis exempla dicens.* HINC SANCTISSIMI *Patres* vsque. ETIAM ATQVE ETIAM HORTANTVR. Hæc tu ipse, qui tamen inferius tibi ipsi contrarius ista sic destruis. NON ME FVGIT INTERDVM &c. vsque FATEMVR OMNES. Hęc tu & bene & plane corrigens quæ hic dixeras haud bene siquidem ipsi sanctorum patrum magistri Apostoli Ecclesiæ Christi, acrioribus inuectiuis, vsque etiam ad conuitia exagitarunt hereticos. Nam Paulus in huiusmodi[a] *Insensati Galatæ quis vos fascinauit nō*

a *Gal.* 3.

ob edire veritati, & in Iudæum magnum Pseudoprophetam [b] *plene omni dolo, & omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis iustitiæ.* Et quæ sequuntur. Ac c petrus quanam inuectiua exagitauit primum hęresiarcham Simonen Magum, & imprecatus est mala; Et posteriori Epistola 2. Cap. nil magis agit quam in eiusmodi stylum exerere, exaggerare, corripere, non parcere contumeliis. Ioannes Apostolus nonne in Cherinthum inuectus ipsum primogenitũ Sathanæ nominauit, & scriptis suis eiusmodi nominat Antichristos. [d] Hi sunt inquam magistri sanctorum patrum, qui insistentes eorum vestigiis imbribus fulminum omnes exagitarunt hereticos, pepercerunt tunc tãtum, cum spes aliqua conuersionis eorum existeret.

b *Act.* 3.
c *Act.* 8.
d *Ioan.* 2.3.

Citas post hæc sententiam Gregorij Nazianzeni, dicens. GREGORIVS QVIDEM NAZIANZENVS &c. vsque. VLTERIVS CADENS. Hęc ex eo, & quidem omni acceptatione dignissima. At per ista minime prohibuisse intelligendus est sacerdotes inuehi in Prin-

cipes, cum inuadunt Ecclesiæ iura, & non subesse, sed præesse cupiam sacerdotibus: non enim potuit vetuisse quod ipse sepenumero noscitur præstitisse: accipe vnum vel alterum de his exemplum eiusdem præstantissimi Doctoris Ecclesiæ, quibus plane antequam nasceretur, malus iste frutex, destruit Monarchiam; potestatem illam dico, quam præter fas iusque sibi Principes seculares vindicant in personas Ecclesiasticas, siue bona ipsorũ. Ait enim sic compellans principes & magistratus. An me libere loquentẽ æquo animo feretis? Nam vos quoque potestati meę, meisque subselliis lex Christi subiicit. Imperiũ ipsi quoque gerimus, addo etiam præstantius & perfectius; nisi vero æquum est spiritum carni fasces submittere, & celestia terrenis cedere. Sed non dubito quin hanc dicendi libertatem in optimam partẽ accepturus sis, vt pote sacra mei gregis ouis, magnique pastoris columna, & quæ sequũtur. Rursum ipse securim ad radicem inferens arboris inelicis istius super cedros de

Greg. Nazian. orat ad caus. Nazianz.

ra-

ramos suos superbissime extollentis, hæc ad Iulianum tributorũ exæquatórem: Oues ne pastores ipsos pascatis, neque vltra fines vestros efferamini. Satis vobis superque est, si rectè pascamini, ne iudices ipsos iudicetis, neque legislatoribus leges præscribatis. Deus enim dissensionis & confusionis non est Deus, sed pacis & ordinis. Ne quis igitur caput sit, qui vix aut manus aut pedis, aut cuiuspiam alius vilioris membri nomen sustinet, & quæ sequuntur, quibus laici sui mensura contineantur officij. En vides quam egregiè, quem in nos testem adduxisti Gregorium, ipse pro nobis militet verbis pariter & exẽplis, & destruat Monarchiam, omnique libertate aduersus principes pro Ecclesiç vera Monarchia illibata seruanda; non leues aculeos, sed spicula orationis intorqueat. *Magistrat. nomen.*

X. Pergis vero. AT BASILIVS SERVVM DOMINI &c. vsque RESISTVNT. Hæc ex Basilio, cuius in certamine Ecclesiastico quas ipse partes susceperit audi ex Greg. Nazianz.[a] Cum inquit temporis angustiis premeremur, hanc ipse ...

a Nazianz. orat. in laudem Basilij.



nem inibat, vt sibi quidem verbi dispē-sationem, nobis autem quod ob nominis obscuritatem nemo accusaturus, patriaque eiecturus esset loquendi libertatem committebat, atque ita Euangelium nostrum & validum erat vtriusq. auxilio suffultum. Audisti partitam inter se sacri ministerij dispensationem? Ineamus & nos hanc pariter rationem̄, vt tu magnus magnum Basilium imiteris, ego autem pusillus libere dicentē Gregorium Naziãzenum sequar. Cæterum hæc illi ad tempus tantum: nam neque ita hisce se compedibus Basilius est passus adstringi, quin cum causa & tempus exposceret prosilierit in principes magna libertate dicendo. Quod cum in eum obiiceret præfectus Imperatoris dicens. Nemo me ad hanc vsque diem ita est allocutus, nec pari verborū libertate, neque enim (respondit Basilius) fortassis in Episcopum incidisti. Quin insuper vsque adeo susceptam semel dicendi libertatem nunquam vsu remisit, vt ea iam ipsi (quod idem testatur [b] Greg. Nazianz.) vitio verteretur, quod homo esset elatus, qui attolleret

[b] *Orat. in laud. Basil.*

ſupercilium,faſtuque plenus : ſed his eum criminationibus idem Gregorius facile purgat.

XI.

Sed iam ad eum quem tertio loco citas Hilarium veniamus. QVOD HILARIVS (inquis) egregiè docet &c. vſque ad SENSVS ANIMORVM. Huc vſque ſunt verba Hilarij ipſo exordio lib. 10. de Trinitate,ex quibus neſcio quo modo, quæ mox ita ſubijcis inferantur; ais enim: QVOD SI QVA IN RE SERVANDVM &c. vſque ad EXCITENTVR. Hæc ex Hilario infers: fateor,neſcio quid dicere velis,&quomodo ex eo deducas iſta, cum nec antea, nec poſtea quicquam Hilarius habeat quod ad hæc ſpectet. Cæterum ne hic ocioſe citatum ſe ipſe queratur,quid de his ipſe ſentiat percontemur. Certè quidem ſanctiſſimus atque doctiſſimus pater, magnus arbiter temporis diſcretionis ([c]*Quod omnia tempus habeant,& ſit tempus pacis & tẽpus belli*) pro ratione temporis diuerſo ſcribendi genere vtitur ad Conſtantinũ Imp. aliquando vero ſublimi te eriget ſtilo: quorum verba tot dixeris fulmina ore exploſa tonantis , præſtringentis

c Eccleſ. 3.

Imperatorem multiplici genere cõtumeliarum. Quin etiam ipse contra istiusmodi laicam Monarchiam stilum exerens, redarguit ministros regios aduersus clericos sibi ius vindicantes: sunt enim hæc verba eius in libello oblato Constantio Imperatori. Prouideat & decernat Clementia tua, vt omnes & vbique iudices quibus Prouinciarum administrationes creditæ sunt, ad quos sola cura & solicitudo publicorum negociorum pertinere debet, à religiosa se obseruantia abstineant, neque posthac præsumant aut vsurpent, vt putent se causas posse cognoscere clericorum, & innocentes homines, varijs afflictionibus, minis, violentia, terroribus frangere & vexare &c. Sic aduersus iacientes semina laïcæ Monarchiæ declamans, quibus videas & Hilarium quem iunxeras tibi ipsi, stare pro nobis, in castra nostra transijsse, dimicare aduersum te, qui inuitum & contradicentem coegeras contra nos pro Monarchia merere stipendia, qui aduersus eam iam arma conuerterit, dissipans penitus eam. Cuius inhærens ego ipse vestigijs, antea

ſpiritus meus mea membra relinquet, quam deſeram ipſum, & alios prӕeuntes glorioſos libertatis Eccleſiæ defenſores.

XII. Poſthæc autem ad prophanos te cõuertis authores, vt eoſdem immittas in nos dicens: SED QVID SANCTOS COMMEMORO? &c. vſque ad: ET DILIGERE VIDEAMVR. Hӕc tu ex Cicerone [a] tanquam contra nos dicta. Sed cur adhuc loquentis os cohibes manu premens ne audiatur totum quod dicitur? Nonne poſt hæc abs te recitata mox iſta verba ſequuntur. Caute quidem (ne dicã aſtute) penitus prӕtermiſſa; Obiurgationes inquit etiam nonnunquam incidunt neceſſariæ, in quibus vtendum eſt fortaſſe & vocis contentione maiore, & verborum veritate acriore, hӕc plane pro nobis contra teipſum Cicero pergens ſententiam cœptam ſic abſoluit.

a 1. de offic.

XIII. Subiicies deinde ex eodem iſta: PRESSIVS ET CLARIVS ALIBI &c. vſque ad CONTVMELIA CAREAT. Sed cur & quod ſubditur, in quo totius rei ſumma eſt præteriiſti? Ex Platone enim ſentẽtiam authore dignam ſubuertis dicens:

Multo melius acerbos inimicos mereri quam eos amicos qui dulces videãtur, illos vera sæpe dicere, hos nunquam. Ideo infero ex his ego: Reges adulatoribus semper obsessi felicius audiant sacerdotes vera insinuantes, qui inimicos iubentur eius audire calumniantes, nõ ministros adulantes. Ad hæc spectat quod sanctus Ambrosius ait de Theodosio imperat. [b] Dilexi virum qui magis arguentem quam adulantem probaret. Sic igitur pro me & hic & contra te Cicero loquitur, & quidem valde proficua regibus.

b *In funere Theodos.*

XIIII. Pergis vero. DE ORATORE VERO IN &c. vsque ad QVID IN RE GRAVI? Sed in re graui non parcendum, cum id imprimis ex prçscripto sacrarum legum perficitur, & à persona graui, nempe sacerdote, cum id muneris sit diuinitus imperatum, vt cum hæc Dominus ad Hieremiam. [c] *Constitui te super gentes & super regna,* & paulo post *Dedi te hodie in ciuitatem munitam, in columnam ferreã; in murum æneum super omnem terram. Regibus Iuda, Principibus, sacerdotibus & populo terræ &c.* At ista maiori argumẽ-

c *Hier. 1.*

to propagata esse in sacerdotes noui testamenti Apostolus docet, scribens ad Corinthios; [a] Si exemplo res agitur, nemo sanctorum antiquæ vel nouę legis, cui verbi annunciandi commissum est ministerium, Regibus legitur pepercisse. Diximus de Hieremia. Dicendū hoc ipsum de Ioanne Baptista qui arguebat Herodem, de Christo Redemptore nostro, eundem regem vulpem appellante. *Dic* (inquit) [b] *vulpi illi.* Sic itaque ridiculum de ridiculo sumptum in re adeo graui redditur argumentum.

a 1. Cor.

b Luc 13.

XV.

Addis insuper. TACITVS VERO AGRICOLAM &c. vsque ad COMIS SERMO. Ista ex Tacito de Agricola. At non reliqua ex eodem authore de eodem perlegisti. De ipso enim idem hæc Tacitus. Apud quosdam acerbior in conuitiis narrabatur, vt bonis comis, ita aduersus malos iniucundus: cæterum ex iracundia nihil supererat secretum, & silentium eius non timeres, honestius putabat offendere quam odisse. Sic vides ex Agricola Tacitum nobis suppeditare contra te ipsum potius non con-

tra nos argumentum. De Salustio quod mittis & ego dimitto, dicturus paulo post vna tecum de ipso. Addis vero.

QVID DE SENECA DICAM? &c. vsque
XVI. ad SEVERITAS AVTHORITATEM. Non repugno, sed quid contra nos? Pro temporis rerumque ratione seueritate vtimur parcius quam medici vtantur helleboro, licet stultorum infinitus sit numerus, sed dictum tunc Senecæ opportunum: nam ad clementiam Neronem truculentum instituit: alijs vero vtitur regulis, & ab his diuersis, cum Lucillium animo roborans instruit, quem & omni timore liberans fortẽ reddit, aduers⁹ quoscũque principes aduersãtes.

XVII. DEMVM VERO inquis ALIIS OMISSIS &c. vsq. ad CRVDELITAS APPELLATVR. QVOD SI CVIQVE OBSERVANDVM, NOBIS CERTE IN HAC MAXIMA ET ECCLESIASTICA DIGNITATE SVMMAE PROXIMA CONSTITVTIS. Sed ista quæ ex Cæsaris oratione Sallustius ait, Cato dicendo penitus confutauit, alij & senatus in Catonis sententiam, seueritatem præponendo clementiæ, cui & ipse historicus magis fauit. Verum ista pro

causa nostra dicta, factaque non curo, quamuis libratum sit æquissim a lance iudicium. De iracundia autem penitus propulsanda quod ex Sallustio asseris & antea ex Cicerone. Num hoc contendis, vt iracundia sit à nobis penitus proscribenda? id totum conatur suadere cum Cicerone Sallustius. At faciant nos cautos aliena pericula. Origenes qui indolentiam ex Stoicis conatus est inferre in Ecclesiam, exulauit ipse ab Ecclesia, & apertum reliquit ostium hæresi Pelagianæ. Absit Christiano homini, vt sicut Stoicus omnem iram malam esse contendat, atque condemnet: quin potius Ecclesiasten monentem audiat [a] *Melior est ira risu*, atque Esayam dicentem. [b] *Indignatio mea auxiliata est mihi*. Necnon idipsum precipientem Psalmistam [c] *Irascimini, & nolite peccare*, quod vti præclare dictum intulit Paulus in Ecclesiam Christi, eadem verba Dauidis repetens, dum docet Ephesios dicens: [d] *Irascimini, & nolite peccare, Sol non occidat super iracundiam vestram*. Insita est à natura, ipso namque Deo, homini pas-

a *c. 7.*
b *e. 63.*
c *Psal. 4.*
d *Ephes. 4*

ſio iſta, ad propulſanda quęque obuiãtia mala, proficua admodum, cũ mala vndique ingruant. Hinc illud Prouerbiorum. [e] *Rex qui ſedet in ſolio iudicij diſſipat omne malum intuitu ſuo, ad iracundiã cõparato*, vetus addit interpres. Quod " autem illud quod eſt natura bene "inſitum, malo vſu ſæpe corrũpitur, " nimirum cum admiſcetur venenum " antidoto, odium iræ. Hinc iure dominus noſter reuocat ad iudicium hominem Chriſtianum qui iraſcitur fratri ſuo, non quidem abſolute iraſci, ſed male iraſci, addens iræ peccatum. Hæc eſt doctrina quæ docetur & diſcitur in ſchola Chriſti: ex qua piè ſanctèque iraſcantur præſules Eccleſiarum cum laicorum potentia percelluntur, ſuiſque iuribus exuuntur, atque bonis cum libertate priuantur; pro quibus defendendis piè ſanctèque ſanguinem fundant, vitamque profundant. QVOD SI CVIQVAM OBSERVANDVM (reciproco verba tua) NOBIS CERTE IN HAC MAXIMA ECCLESIASTICA DIGNITATE, SVMMÆ PROXIMA CONSTITVTIS. Sed quæ his ſub-

e Prouerb. 20.

f Matth. 5.

iicis videamus.

NON ME inquis FVGIT INTERDVM &c. vſque ad OPINIONE PERMISSO. Hæc tu. Sed iam in longa hac conflictatione reſpiro, cum tua hac vna ſententia cuncta ſuperius contra me coagmentata deſtruis, diſſipas, penituſq. diſperdis, dum non negas, pro bono Eccleſiæ iniuſte ſubſtracto, iuſte quẽpiam ſuccenſere, & quidem hæc tu ex Catholicæ fidei regulis ab Eccleſia ſancta repertis, quæ piè ſanctèque colit S. Thomam Cantuarienſem Archiepiſcopum eadem cauſa martyrio coronatum. Verum quod excuſas & excludis me ab iſtiuſmodi glorioſo genere pugnæ, atq. corona, eo quod, etſi agatur à nobis, pro vindicandis Eccleſiæ bonis, illa tamen poſſideri iterum dicis à Rege, PERMITTENTE EO, CVIVS INTEREST, ROMANO PONTIFICE: cum iam eiuſmodi exceptio tua vana prorſus ſit ſuperius demonſtrata, atq. penitus falſa teſtificatione pluſquam mille teſtium declarata: neceſſariò ex propoſita abs te veriſſima aſſumptione eſt deducendum, nos pro iuribus XVIII.

sanctæ Ecclesiæ vindicandis exemplo sanctorum gloriosissimè eo dicendi genere sicut iustissime laborasse. Pergis vero.

XIX. In regem disseritur a maioribus sanctissimis et quam maxime catholicis ortum, & quæ sequuntur abs te iustissime sicut locupletissime prædicata: sed finite & parcite loquēti libere. Quid in regem disseri, quasi immensum piaculum damnas? impeccabilis sit Rex, fac eum Angelum, cōstitue (si licet dicere) & ipsum Deum: non tamen iure efficere poteris, quin iustæ redargutioni seipsum subijcere debeat, dicente ipso Deo, & prouocante ad hoc ipsum populum, cum iustitiam fecerit: a *Venite & arguite me.* Licet Ieremias iustæ causæ suscipiens patrocinium Deum ipsum iudicio interpellare non timuit dicens. b *Iustus es Domine, veruntamen iusta loquar ad te, & quæ sequuntur.* Hæc quidem cum velimus regem esse sanctissimum. At quid si quilibet Rex (quod fert humana conditio) publicè peccet? Nūquid adeo grande malum erit (quod

a Esa. 1.

b. Ier. 2

tu æstimare videris) si per sacerdotem disseratur in Regem? An nescis sententia Domini maximè omnium infamari peccantem regem silentio sacerdotum ita dicente ad Ezechielem? *Linguam tuã adhærere faciam palato tuo, & eris mutus, nec quasi vir obiurgans, sed quasi exasperãs &c.* Vt plane Deum exasperans, Deoque esse rebellis in profundum lapsus iniquitatum infelix ille quisquis fuerit rex conuincatur esse, qui obiurgantem habere non meruerit. Quid igitur iactas: IN REGEM DISSERITVR? At his tu mihi inuidiam facis, concitans in me regem quem impellere posses, nisi eum solidiorem, nec facile mobilem redderet constantiæ virtus, firmaret pedibus ne labatur insitus animo iustitię cultus, & super omnia timor Dei, qui solus, qui dominanti imperat imperiosissime cohiberet. At nihil profuit ipso disputationis ingressu; contestatum esse verbis Ambrosij ad Theodos. me non contra regem, sed pro Rege rem tantam aggredi, sicuti res vera, causam Regum agere, pro Regibus laborare, Reges tueri, certum est sacerdotes qui surrep-

tionibus, deceptionibus, & adulationibus plurimorum, quibus nolentes & inuiti expositi sunt præ cunctis hominibus, ne decipi possent, occurrunt, vel deceptis succurrunt, ne apud terrificũ tribunal Dei conuenti, rei damnationis æternæ succumbant: sacerdotum pręcipue munus hoc est, ista Regibus annunciare; Regum est, eos nedum patienter, sed & libenter audire. Audi S. Ambros. de his apud Theodosiũ Imp. differentem: Neque imperiale est inquit libertatem dicendi denegare, neque sacerdotale quod sentiat nõ dicere: Nihil enim in vobis imperatoribus tã populare, & tam amabile est, quam libertatem etiam in ijs diligere, qui obsequio militiæ vobis subditi sunt. Si quidem hoc interest inter bonos & malos principes, quod boni libertatem ament; seruitutem improbi. Nihil etiam in sacerdote tam periculosum apud Deum, tam turpe apud homines, quam quod sentiat non libere denuntiare. Hæc Ambrosius, qui & vbi ista diuinę scripturę sententijs communiuit, coronidẽ imponit huiusmodi. Et ideo Clemen-

Ambros. Epist. 29.

tiæ tuæ displicere debet sacerdotis silẽtium, libertas placere. Nam silentij mei periculo inuolueris, libertatis bono iuuaris. Non ergo importunus indebitis me interfero, alienis ingero, sed debitis obtempero, mandatis Dei nostri obedio. Hæc & alia idem. S. Ambrosius, sternens confragosam viam sacerdotibus reges adeundi, atque intrepide tanquam legatione fungens pro Christo veritatem insinuandi.

XX.

Tu vero, vt inaccessibilem facias ad Regem viam, sepis eam tãta cum energia, timorem incutiens ac dicens: IN REGEM DISSERITVR. Sed his succisis Apostolica falce, aperit viam ad regem Paulus cum ait: [a] Vis non timere potestatem? Bonum fac, & habebis laudem ex illa: Dei enim minister est, tibi in bonum, si male feceris time: non enim sine causa gladium portat. Militabit ergo mihi si bonus ero Rex Catholicus & gladius eius contra mala obuiantia exeretur pro me iam Apostolica sponsione securo. Sin secus acciderit, nec timendum quidem, gaudendum magis dicente eodem Ambrosio: felicius

a. Rom. 13

In obitu valent. imper.

Episcopos persequantur imperatores, quam diligant. Nam ex persecutione corona conciliatur illis, ex dilectione pericula præparantur. Stet igitur ex præmissis firma conclusio. Quod ego Dei mandato exigente, meo officio postulante, Romani Pontificis iussione accedente, impellente causa, consulturus Regis æternæ saluti differui de Monarchia, non contra Regem id à me factum, sed pro Rege perfectum esse Ambrosij firma sententia comprobaui, cui tu cedens, rem tua amplitudine dignam facies: recedens solus eris, cum pij omnes dicturi sint magis Ambrosio quam tibi deferendum.

XXI. SED DICES (inquis) QVÆNAM SVNT ISTA QVÆ &c. vsque ad CAPVT ECCLESIÆ DVRA ais NIMIS ET ACERBA VIDENTVR, VT CVIVS IN VNA POTENTIA ET MAXIMA IN DEVM PIETATE ECCLESIA VNIVERSA INNIXA CONQVIESCIT, IS TANDEM MONSTRVM DICATVR ET OSTENTVM. Ad tam monstruosam & portentosam calumniam auditus exhorruit, & animo ipse consternatus expallui; expertus quam potenter

tēter feriat tāti roboris brachio vibratū calūniæ telū, dicēte Ecclesiaste. [a] *Calūnia cōturbat sapientē, & perdet robur cor illius.* a Eccles. 5. Hæc tu ipse cum dicis, vide quomodo ex assumptione præmissa deducas. Dixi & vtique aërem verberans, sed ex præscripto Catholicæ fidei, ex Symbolo ipso Nicæno, quo canimus, *Et vnam sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam,* vnam esse tantummodo in Ecclesia Catholica Monarchiā, audiri modo inauditum hactenus, duas in Ecclesia Monarchias, Romæ nimirum alteram, alteram in Sicilia, duoque capita esse oborta, hoc haberi pro monstro atque ostento. At hoc fidelius nihil dici potuit, nimirum asserere vnam tantum esse in Ecclesia Monarchiam. Quod cū sit Catholicæ fidei, nihil potest iustius affirmari, quod sit ex omnium Patrum sententia comprobatum, nihil hoc dignius, cum pro hac veritate quique fideles teneantur securi colla submittere: At vero vt ex hac ignominia regnū liberarem atque regem, inferius eadem pagina obnixè laborans ostendi, non alteram dicendam eam esse Monarchiā

ab vnica Catholicæ Ecclesiæ Monarchia, sed vni subiectam, vniq. subalternatam hanc quam dicunt Siculam Monarchiam, vt omnino impropriè, eo dicatur nomine Monarchia, quod à ministris inuentum constat, cum in Priuilegio Vrbani, nunquam eius nominis vsurpãdi, cõcessa licẽtia habeatur, prout in ea tractatione monstraui. Vbi locorum rex à nobis vocatus reperitur in crimen? Laborans ego tantopere, ne eiusmodi de nomine vsurpato ignominia super regnum & regem cadat, calumniam patior, tantum Regem ostentum à me esse dictum ac monstrũ, cum nec nomen ab eo dixerim inuentum, nec eo sensu acceptum possideri ab eo titulum Monarchiæ, vt ostentum possit aliquo pacto dici vel monstrum. Appello omnium legentium ea iudicium, vera ne sint ista, vt non vnius sed alterius lectoris, sed omnium sententia vindicer à tam immani & plane portẽtosa in me illata calumnia. Compello demum Prudentiam tuam an non quid eximium de Rege senserim? quibus meritis laudibus prædicandum, glorio-

sis titulis illustrandum, præconijs debitis celebrandum duxerim? Nonne satis abunde hęc & alia complura eadē tractatione testata mea spontanea professione reliqui? Qui locus esse potuit existimationi alicuius ex falsa assumptione deductę, vbi authoris confessio, & professio, testificatio & assertio omnino contraria habetur ijsdem chartis, litteris cubitalibus (vt ita dixerim) exarata? Cum ipsius exordio tractationis his honorificentissimis titulis exornauerimus eundem regem Philippum III. dicentes, ipsum veritatis amantissimum, iustitię obseruandissimum, & in omnibus animo tranquilissimum, & paulo inferius, veritatis vltorē, iustitię rectorem, religionis custodem, & defensorē pariter nominauimus, & ad postremū, eodem quo cœpta est, telam auro texētes & perfici cupientes, eundem nominauimus nostrum Zorobabelem, pietate insignem, omnium virtutum corona fulgentem? Hæc nos; & haud intrepidè; magnopere verentes, ne potius adulatores argueremur ab aliquo, quod fecerimus contra illud Apostolicum [b]

b 1. Theſſ. 2 *Non quaſi hominibus placentes, ſed Deo qui probat corda noſtra, neque aliquando fuimus in ſermone adulationis,* probe ſcientes obſcurari potius quàm illuſtrari regum gloriam adulationum pigmentis. At vitauimus de adulatione reprehenſionem, quod vix cogitaſſe potuimus, ſed nequaquam (quod nunquam exiſtimaſſemus) de maledicentia in regem potuimus vitaſſe calumnias, quæ ex ſui immenſitate tantum manifeſtę oſtenduntur eſſe falſiſſimæ, ſed preterijt te (vt video) illud Iacobi Apoſtoli dicentis.
Iacob. 3. *Nunquid fons de eodem foramine emanat dulcem & amaram aquam?* Nam quomodo ex eodem fonte cum nectare aconitum? Sed ad aliam hac non minorem contra me conflatam calumniam veniamus. Pergis autem.

XXII. NEC HORVM DISSIMILIA QVÆ NON &c. vſque ad NOMEN VSVRPATVM QVO FIT (tu male deducis) VT REX HISPANIAE TYRANNIS ET ECCLESIAE HOSTIBVS DETERIOR SIT. At quam rurſus falſiſſima iſta ſit inductio videamus; Sane verum, neminem antiquorum Siciliæ tyrannorum qui ab obedientia

Romanæ Ecclesiæ resilierunt, & eam sunt acerbissime persecuti, vnquam se nominauisse publicis titulis Monarchas Siciliæ; Hoc inquam verum, certum & exploratum est. Sed non verum quod male sic infers ex mea sententia: Quod Rex Catholicus qui hodie regnat & Monarcha Siciliæ nominatur, deterior sit tyrannis illis: Ne tu dicas quod non dixi, nec dicturus essem aliquando, imo quod nec ego nec aliquis dicere poterit. Si quidem non ipse rex eius nominis est inuentor, sed haud dico ante inuenti iusta hæreditate possessor bonæ fidei eius tituli, vt superius à me pluribus dictum est, adeo vt nulla ex parte sit cum illis perditissimis comparandus. Iam facillime tanta hac diluta calũnia ad sequentem deueniamus.

XXIII. Paginam nostram signans 662. ex meis hisce verbis. ABSIT, ABSIT LONGE VT MONARCHIAE ILLIVS &c. vsque ad SEDIS. Quæ nostra verba cum te vehementer offendisse testeris, quod dixerim in contumeliam Dei & Apostolicæ sedis erectam, nescio quomodo defendere & excusare potes citra Dei cõ-

tumeliam, & opprobrium Apoſtolicæ ſedis trahi miſeros clericos ad curiam ſecularem, appellationibus ad ſedem Apoſtolicam non deferri, & alia innumera in ea tractatione narrata quæ hic minime repetenda putamus: quæ melius & prudentius tu conſidera an in contumeliam Dei vertantur, & opprobrium Apoſtolicæ ſedis. Doleo te frater iſta non dolere, ſed magis te velle ita ſcribendo defendere, quæ ne fierent viri ſãctiſſimi ſumma gloria ſubiere martyrium.

XXIV. Ad paginam prouenis 683.684. quibus ego quam iuſtiſſime declamo aduerſus corruptorem litterarum Vrbani Papæ, quem dignum dixi vt in eũ lege Cornelia, qua plectuntur falſarij ageretur, ſic in nebulonem exclamans. O fraudem ſolemnem Cornelia lege plectendam, quam non timuit, in quam peccauit, qui iſta adeò enormia ad conciliandam ſibi Principum gratiam perpetrauit! Hęc à me declamata in falſarium peſſimum hominem, quod in gratiam principum nefanda adeo perpetrauit, tu in eum mox ſenſum detor-

ques, ac si regem ipsum Catholicum Philippum III. tãta ignominia aspergere voluissem, in me illud inclamans: QVID TIBI ECCLESIASTICO VIRO PRINCIPEM CORRIPIENTI CVM LEGE CORNELIA COMMVNE? Et quæ sequuntur inferius disquirenda. At vnde tibi (dixerim ego) diuinatio ista, vt cum de principum gratia, eo facinore ab homine scelestissimo aucupata verba feci, me ea in Regem hodie regnantem essutiisse proclames? At quomodo potui vel in leuissimam suspicionem adducere nostrum regem, qui nondum natus, vel si natus, certe degebat in cunis, cũ in Hispania ille cuius est liber (vt apparet ex eo vt dixi ibidem) anno salutis 1578? hæc si exacte considerasses haud certe tanta me calumnia aspersisses, atque inuectiua exagitasses, qua primum & me redarguis imperitiæ, dicens.

HÆC NE PRÆCEPTA HISTORIÆ? Et paulo post. EQVIDEM ID OMNE AB HISTORICO QVAM MAXIME ALIENVM PVTO: & inferius rursus ingeris me scribendæ historiæ numeros non explesse; cum videlicet interdum rem increpa- XXV.

tionibus egerim, vt potius scribendarũ reprehensionum quam historię munus susceperim. Me miserum, cum post editionem vndecim tomorum Annalium arguor scribendę historię imperitiæ! Quasi frustra laborauerim, & cucurrerim in incertum, aërem pugnando verberans, post confossos stylo nostro, sed digito Dei ducto Cẽtimanos Briareos, Ecclesiam Catholicam acerbissime infestantes ac dissipantes, Centuriatores vulgo dictos, eosdemque cum ignominia sepultos, tanta ista patior, & à fratre? Sed ista tu faciens, omnes contra te cõcitas Orthodoxos, qui summa laude eosdem prosequuntur Annales. At nõ sumus huiusmodi, vt egeamus litteris commendatitiis, cum etsi alia deessent, satis superque ista videri possint signa haud dubia bene perfuncti nobis adeo crediti Apostolatus. Sed quod parcè de se, suisque rebus loquendum sit, parco, vlterius non procedo. Et si ista memorans insipiẽs factus sum, vos me coegistis. At me potius felicissimũ dixerim, quod ista obiiciantur me viuente, qui valeam tanta me calumnia liberare, ob-

ſignatamque relinquere teſtibus fideliſſimis noſtrám Annalium ſcriptionē, ad omnes rectè ſcribendę hiſtoriæ prę-ſcriptas à viris doctiſſimis regulas attēperatam. Qui primus antiquorum iſta docuit, magna cum laude in eo eſt argumēto verſatus, ſed in cæteris impius, fuit Lucianus Samoſatenus, qui commentarium edidit cuius eſt titulus: Quomodo hiſtoria ſcribenda ſit, laudatiſſimum opus! Cuius (quod ad rem ſpectat de qua inter nos vertitur controuerſia) velim aliqua hic perſcripta perlegas atque primum: Maxime autē inquit & ante omnia hiſtoricus libero animo ſit, vt neque metuat quenquam, neque ab vllo ſperet quicquam, quoniā ſimilis hoc pacto foret malis iudicibus, qui vel ad gratiam, vel ad odium accepta mercede ſentētiam ferunt. Et poſtquam plura de non timendis regibus, cum quid in eos dicendum ſit, ſapiēter inculcauit: & ad id rediens ſubdit. Proinde hiſtorici opus vnum eſt, vt quæcunque perinde atque facta ſunt exponat. Hoc autem facere non potuerit, donec vel Artaxerxen metuerit: Et

paulo post rursum ingerens addit. Verum hoc, vt dixi, proprium historiæ est. At solum immolandum veritati ei qui ad historiam scribēdam accedit, cætera vero omnia postponenda; & in summa; vlna vna & mensura certa est, aspicere non ad presentes auditores, sed ad eos qui in posterum in his scriptis versabũtur: Et ad postremum: Talis igitur mihi sit historicus ille vt metu careat, nullis muneribus corrumpatur, & liber sit, & dicendi libertatem ac veritatem amet, quemadmodum Comicus ille ait: Ficus, ficus, ligonem, ligonem nominet, non odio neque amicitiæ quicquam tribuens, non parcens; neque miserascens aut erubescens, aut exorare se facile patiens. Huc vsque Lucianus, & sane quidem Christianę religioni magnopere consentientia. Eadem apud Latinos Cicero [a] hęc breuiter. Ne historicus quid falsi dicere audeat, deinde ne quid veri non audeat. Quibus munitus vt de se testatur ipse Sallustius [b] aggressus est historias scribere, quod inquit ipse metu partibus Reipub. animus liber erat: quem quidem mihi sco-

a *De Oratore 2.*

b *Proem. Catilin.*

pum collimādum ab ipso exordio scribendæ historiæ suscepi, adeo vt nec latum vnguem ab eo aliquādo diuertisse meminerim, maximum ducens sacrilegium, vt Christianus homo, eius, quam in primis colere debet veritatis, proditor sit, quam solam spectandam Ethnici authores tantopere prædicarunt. Accepisti propositum meum, quot versibus, totà me in Annalibus declaratum exemplis.

XXVI.

Iam vero ea diluenda est obiectio abs te illata, quod putas contra historiæ regulas agi, cum à nobis, raræ licet & breuiores reprehensiones intermiscentur, vt cum modo in falsarium, ea quæ reprehēdis obiter dixi, quod existimes nullam omnino esse relictam Historico reprehendēdi authoritatem. Prouoco te ad huius facultatis peritissimos ab omnibus receptos, & in primis ad eum quem diximus, Lucianum, qui absque aliqua controuersia, laudationes & reprehensiones intermiscendas ab historico esse docet, sed mensura sua; Ait enim: Laudes quidem aut reprehensiones omnino parcę & circumspectæ,

& calumniis minime obnoxiæ. Pręterea & cum demonstratione quadam & breues, & non intempestiuæ texendæ sunt: ad quam quidem mensuram, reprehensionem hanc meam dictam in falsarium esse reperiet quisque prudés veritatis amator, quem in omnibus cupio iudicem rerum nostrarum. Accipe & de his Sallustij testimonium, qui quidem in eodem maxime claruit scribendi genere; in proœmio enim quod præfixit suæ historiæ de coniuratione Catilinæ hæc habet. Arduum videtur res gestas scribere; Primum quod factis dicta sunt exequēda, dehinc quia pleriq. quę delicta reprehenderis, maleuolentia & inuidia dicta putant. Hæc ipse, reprehensione plane totidem verbis exprimens casum hūc meum, cuius causa abs te redarguor imperitiæ, quam autē iuste tu vides. Exulare tantum ab historia monent veteres prolixa encomia, non laudes mediocres, longiores inuectiuas, non leues reprehensiones, vt digna reprehensione ipse orator [c] non caruerit, qui ab historico omnē dicendi amouet asperitatem, & resecat dictionis

c Cic. 2. de Orat.

aculeos. Nam si est concessa reprehensio, ipsa quidem sui natura, aspera, armata semper aculeis inuenitur, sed ipsum in cæteris laudatum Ciceronem, scribentem historiam reprehendit Dio, [a] atque derisit vehementer opus, quod lectione minime dignum periit cum auctore. Hæc tibi ad exactam rerum nostrarum rationem percipiendam attulimus, cum alioqui in his quæ spectāt ad tractationem illam de Monarchia, quam solam impugnandam suscepisti, licuisset in defensionem scriptorum meorum, ne redargui possemus eius facultatis indocti, illud in excusationem afferre: Ex mandato summi Pontificis iubentis tractationem illam plenissime scribi: eam iudiciali Schemate in controuersiæ modum prosequi, necesse fuisse, atque ita stylum ad historiā scribendam aptatum, ad iudiciale dicendi genus acuminasse, ita vt nonnihil ab instituto diuertere opus fuerit, nam & prçter institutum factum vides, vt qui per annos singulos res gestas scribēdas suscepi, ibi oportuerit plurium sæculorum annos simul coniungere, quod id à

a *Hist. l. 46.*

me exigeret opus Pōtificia authoritate commissum, alia ab historia, diuersaq. ratione tractandum.

XXVII Sed reliqua prosequamur. HÆC TIBI (inquis) SANCTÆ SEDIS MODESTIAM, ET ECCLESIASTICI IMPERII &c. Exaggerās tantopere acredinem styli à me in falsarium illum exhibitam, cum nulla velis occasione orationem ab vrbanitatis lepore, suauitatis dulcedine, lenitatis facilitate; quauis occasione posse recedere. At non te latet ex sententia Ciceronis & [b] aliorum, historicum non alia voce nisi orationis, immortalitati suam historiam commendare? Porrò bene nosti apud Rhetores inter alios esse locum seu figurā in oratione formāda, quæ contentio dicitur, & sic definitur. [c] Contentio est oratio acris & ad confutandum, & ad confirmandum accōmodata, eademque alio modo indignatio dicta, locuples in multitudine argumentorum, quindecim sub se continēs loca, vnde spicula reprehēsionum educat. S. autem August. ex nostris in Comment. de doctrina Christiana [d] grande hoc nominat dicendi genus,

b 2. *De oratore.*

c *Lib. 4. ad Heren.*

d *Lib. 4. c. 19. & 24.*

idemque docet quid à nobis sit adhibendum his verbis: Cum vero aliquid agendum est, & ad eos loquimur qui hoc agere debent, nec tamen volunt, tunc ea quæ magna sunt, dicenda sunt granditer, & ad flectendos animos cõgruenter. Et inferius alium docet casũ, quo eiusmodi vti grãdi dicendi genere sit opportunum, cum videlicet aliqua inoleta praua consuetudo sit radicitus euellenda, quod bene cessisse sibi ipsi testatur, cum Cęsareæ Mauritaniæ ad id præstandum eodem vtendum fuerit grandi dicendi genere. Modo causam nostram ad examen reuoca perfectæ oratoriæ dictionis. Quis neget nos in vtroque versari casu; siue quod res magni momenti tractanda fuit cum Regiis ministris, qui quod agere deberent, hoc tamen nollent, vt per plurima annorũ curricula; innumera exempla decursa significãt, & hactenus in dies perspicua luce demonstrant, siue quod altioribus defixam radicibus prauam consuetudinem, cui resistunt Canones, decreta Pontificum, Patrum sentẽtiæ, Sanctorũ exempla euellendam ex mandato suf-

cepimus? Cui non parendum, Augustino tam exacte nobis dicendi regulam præscribenti, vel alijs, aliud sentiẽtibus, prudentium sit iudicium: Cum alioqui & de his antiquiorem habemus ab Apostolo præscriptam præsulibus dicendi formam, cum nimirum Paulus Timotheum, nuper à se ordinatum Episcopum sic informat. [c] Prędica verbum, insta opportune, importune argue, obsecra, increpa. Quanta autẽ in his aculeorum seges, vrbanitatis raritas insit, tu considera: Nam primum, importunitas figit aculeos, redargutio premit eosdem, & increpatio iterat ipsos: at vero vrbanitati solum datur quod dicitur, obsecra, vt nulla possit in me iusta querela de instituta atque contexta (vt ais) aculeis oratione; quam totam velis esse mellitam. Sed non culpæ cedit verbi Dei ministro, si melle fortè careat, quod offerri in sacrificio Deus vetuit, longe maior esset eidem ascribenda culpa, si sale deficeret, cuius non mulcet dulcedo, sed rodit mordacitas: quod oporteat sẽper adesse, cũ ipsũ iubeatur sacerdos in omni sacrificio adhibere:

c 1. Tim. 4.

Post-

Posthæc subiicis. EQVIDEM (inquis) ID OMNE ET AB HISTORICO &c. vsque ad ALIENVM PVTO. Hæc tu in his quæ ad munus optime scribendæ historiæ pertinent. Quod autem maxime alienum putas (vt ais) ab homine pio & religioso qui ad hunc Cardinalatus gradum euectus sit, libertate hac vti dicendi in corruptorem diplomatis Pontificij, satis digne mirari non possum: excuso tamen quod non perceperis sententiam verborum meorum, quæ dicta in nequissimum hominem, iactata in Regem male interpretaris. Cæterum illud sic habeto, mihi pro minimo esse, si stilo tantum, vel verbis agam aduersus quoscunque tuendo Ecclesiæ iura, & oppressam vindicando Ecclesiasticam libertatem, paratus diuino auxilio defendere eadem voce sanguinis sublimius ad Deum clamantis, quod non puto dixeris alienum, sed maxime congruum viro ad tam sublimem apicem dignitatis euecto, qui animo erectus, omni timore superior, cum Apostolo dicat:[a] *Quamdiu sum Gentium Apostolus, ministerium meum honorificabo*, & immo- XXVIII.

a Rom. 11.

ta constantia cum eodem item dicat & sentiat b *Bonum est mihi magis mori, quam* b1. *Cor.* 9. *vt gloriam meam quis euacuet.* Ista exemplis sanctorum, & verbis prædicans, & digna actione confirmans.

XXIX. Quod inferius nostra condemnas, differentiam ponis inter priores institutores monarchiæ, & præsentem Regem eius possessorem, quod illi inuitis Romanis Pontificibus & contradicentibus egerint, isti recentiores permittentibus illis possideant illam; Quam falsissimũ sit satis superque demonstratum superius cap. 6. ad quæ teipsum reuoco, prouocoque lectorem. Ex quibus necessariô corruant quæcunque hic siue superius, siue inferius eodẽ vano fulcimẽto nituntur.

XXX. Adijcis ad hæc dicens, quod VIX CREDI POTEST QVANTVM EX HIS NOSTRIS, REGIVS ANIMVS IRRITETVR. Sed absit, vt hoc tibi concedam, credamque sacerdote monente, & quodammodo ex persona Pontificis ea iubentis legatione fungente, irritari (vt ais) ne dum commoueri Serenissimi Regis animũ. Haud leuem quidem tantæ maiestati

notam inuris, dum ita moribus comparatam affirmas, vt quę suæ sunt salutis, siue vera sint, siue prætensa, sacerdotem monentem animo adeo perturbato suscipiat, immo irritatus eiiciat. Nunquid non Regi notissimum est illud Euangelij. [c] *Qui vos audit me audit, qui vos spernit me spernit.* Qui legatos hostiũ (quod iuris gentium sit) benignè audit, & custoditos illęsosque dimittit: non audiet pacato animo S. R. E. Cardinalem, pacis legatione fungentem, salutis nuncium afferentem? Audiendus quicunque; Nam & eo exemplo Rex cautior reddi debet, quod qui plurium sententia reputatus est [d] stultus legatus atq. nuncius rerum falsarum, fuerit tamen inuentus afferre regnum Iehu filio Iosaphat ab Elisæo. Magno namque periculo sacerdos monens eijcitur à Principe audire nolente. Nam sanctus Ambros. [e] ad Theodos. Imper. Si indignus sum qui à te audiar, indignus sum qui pro te offeram, non recipiente Deo eiusmodi sacrificium. Cuius etiam instituimur exemplo atque doctrina, quid irato regi vel potius ministris eiusmodi

c Luc. 10.

d 4. Reg. 9.

e Epist. 29.

prętextu irę Regis, compescere dicendi libertatem curantibus, respondere debeamus. [f] Allegatur (inquit ipse scribẽs ad Marcellinam sororem quæ accidissent.) Allegatur Imperatori licere omnia, ipsius esse vniuersa. Respondeo, Noli te grauare Imperator, vt putes te in ea quę diuina sunt, imperiale aliquod ius habere. Noli te extollere si vis diutius imperare, esto Deo subditus: scriptum est [g] *Quæ Dei Deo, quæ Cæsaris Cæsari.* Ad Imperatorem palatia pertinent: ad sacerdotem ecclesię: publicorum tibi mœnium ius cõmissum est non sacrorum. Hæc ipse. Vides quales tu prouoces Christianæ militiæ duces agere pro Ecclesiæ iurium defensione aduersus Siculam Monarchiam.

f Epist. 33.

g Matt. 22.

XXXI. Perorando autem abs te ista dicuntur. NEQVE ENIM MINORA POSSVNT &c. vsque ad INVENISSE QVAM DICERES: vtcunq. pro arbitrio dixeris pari stylo, & orationis libertate contra me à te dictum, certe nunquam gloriari poteris, pari causa abs te factum, immo in contraria nisum. Ego quidem id pręstiti, quod præstari solitum nouimus à viris

Sanctissimis Catholicæ Ecclesiæ defẽsoribus, quorum cultum solennibus ritibus Ecclesia ipsa prosequitur. Præstiti inquam animo non inuito miseratus infelicissimum Ecclesiæ statum, & meæ memor conditionis atque iuratę promissionis, quam cum in amplissimam cooptatus sum dignitatem, ex scripto sacræ formulæ recitato, terribili iuramento, cuius tantum memoria animus horret, & occupat membra tremor, spopondi (quod tu diu ante me feceras) pro conseruandis Ecclesiæ iuribus illibatis, certaturum ad obitum vsque: & memoria retinens, quod neque alia cõditione vocatus ad pileum, nisi vt huiusmodi purpurei coloris insignibus, ad martyrium meum scirem pro Ecclesiastica libertate tuenda, cæterisq. Ecclesiæ iuribus defendendis esse sanguinem oppigneratum. Quod si quãdo à nobis ista præstanda sunt: sane quidẽ magna vrgẽte necessitate; importunius id à nobis pręsens tempus exigit, de quo sit dicendum cum Amos:[a] *Tempus malum est*. Imo & cum Michęa.[b] *Tempus pessimum est*. Quis memoret inferentiũ

a Amos 5.
b Mich. 2.

ſe in vrbem quotidie frequentem nunciorum lugentium Epiſcoporum concurſum, deferentium ad ſanctam matrē (ad cuius gremium vnica ſpes reliqua, atque perfugium) Romanam Eccleſiā, Apoſtolicam ſedem, caſus lugubres, auditu horribiles, de ijs quæ miſeri Epiſcopi pati coguntur à ſecularibus poteſtatibus? Probe norunt iſta fratres noſtri, qui in his audiendis iugiter occupantur, de quibus illud appoſitè [c] *Ecce gemunt Gigantes ſub aquis, & qui habitant cum eis*, dum tot, tantiſque negociorū fluctibus operiuntur; ſed & qui clauum tenet, Petri ſucceſſor ad iſta animi angore vehementiori comprimitur, ſed non atteritur, aſſurgens quantum licet contra tot aduerſa robuſtior. An ego ſolus auditurus eram abſque profectu iactata cum dedecore opprobria exprobrantium Prophetarum? vt illud Ezechielis. [d] *Quaſi vulpes in deſertis Prophetæ tui Iſrael. Non aſcendiſtis ex aduerſo, nec oppoſuiſtis murum pro domo Iſrael vt ſtaretis in prælio in die Domini*, ſiue Iſaiæ. [e] *Speculatores tui cæci, omnes canes muti non valentes latrare*, & clamantis Amos. [f] *Væ*

c Iob. 26.
d Ezech. 13.
e Eſa. 56.
f Amos. 6.

qui opulenti estis in Sion, egredientes pompatice domum Israel, qui separati estis in diẽ malum, & appropinquatis solio iniquitatis. Atque alia plura his addita repleta cõminationibus cũ exprobratione, *Quod nihil compatiebantur super contritione Ioseph?* Anne ego inquam non expergiscerer tot clamoribus Prophetarum, nõ excitarer Prophetica tuba Ioelis illud bellicum intonantis. g *Sanctificate bellum, suscitate robustos, accedant, ascendãt omnes viri bellatores. Concidite aratra vestra in gladios, ligones vestros in lanceas, infirmus dicat quia fortis sum.* Ego ipse infirmus ille, *Sed omnia possum in eo qui me cõfortat*, h qui & *cum infirmor tunc & potẽs sum.* i Exurrexi in prælium à Deo sanctificatum, exemplis Sanctissimorum virorum honestatum, sacerdotúmque tubis annunciatum. Exurrexi inquam, sed non progressus sine consilio, vt sacerdotes illi qui periisse narrãtur. k *Dum voluerunt fortiter facere sine consilio exeũtes in prælium?* Consiliarius mihi fuit qui & suasor, qui & impulsor, excitator & iussor sanctæ memoriæ sanctissimus Papa Clemens. l *In his si voluero gloriari,*

g Ioel. 3.
h Phil. 4.
i 2. Cor. 12.
k 1. Mac. 5
l 2. Cor. 12.

non ero insipiens: Veritatē enim dico, Quod causa digna digne gloriandi tanta præcesserit. Tu autem cum gloriaris, quod pari stilo & libertate egeris contra me, Romanæ Ecclesiæ iura tuentem, vide
m 1. Cor. 5. monente Apostolo, m *Sit ne bona gloriatio vestra*, vel ad te perueniat, te perstringat, quod expostulans Christus ait.
n Luc. 12. n *Qui non est mecū contra me est, & qui nō colligit mecum dispergit*. Maximum plane de super imminet in his peccasse periculum, quod vtiliter cum vitę dispēdio fuerit redimendum, Adesse Domine frater, festinant tempora, cum stabimus ante tribunal Dei iudicandi simul & accepturi pœnam vel præmium, gloriā vel confusionem, pro contrarijs ab inuicem collatis officiis. Tunc apparebit,
o 2. Cor. 10. *Quod non* o *qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.* Pergamus perscrutari aliqua.

XXXII At quod his addis DECVISSE TE PLVRIMA ET GRAVISSIMA CONGESTA PROTVLISSE, QVIBVS CONTRA NOSTRAM DICENDI LICENTIAM REGEM CATHOLICVM PRO VIRIBVS DEFENDERES. Sane quidem quod ad defensionem regis

pertinet, cum nec verbulo quidem (vt ostendimus) certum sit nos in Regem peccasse; superfluus omnino fuerit conatus tuus, solus pugnans quod non sit qui repugnet, & stans ex aduerso feriat, vel excipiat ictus. Si quæ vero contra male assertam Sicilię Monarchiam à nobis sunt posita, velis pro arbitrio tuo contra sententiam meam, & assertam scriptis professionem interpretari in Regem esse dicta: tibi plane vt Regis vindici (quod tantopere profiteris) singula à nobis proposita argumenta fuerunt confutanda: Quod cum nullatenus feceris, sed tantum ad meam in dicendo libertatem, stylumque redarguēdum te conuerteris, probasse potius visus sis cætera quæ spectant ad causam, sicque non defensa sed offensa potius appareat tuo officio Regis causa, quæ ex hac tua scriptione magnum sentiat præiudicium.

Demum vero claudens eodem fine, XXXIII.
quo initium cœperas, SCRIPTIONEM HANC TVAM (ais) ABS TE ROGATVS TIBI OFFERO. Quomodo à me rogatus? Num vt sic nostra protegeres, aut pro-

bares quæ iam probata essent & cusa? siue Censorem ipsorum ageres, eadẽq. scriptis aduersarijs perurgens publice in nos conflatas calumnias dissemina-rés? Minimè gentium, licet gloriose tu quidem illa eius exordio profitearis, sed vt ea quæ tibi displicuissent, amice corã afferres, pollicitus ego reddere de omnibus rationem, & corrigere quicquid reperiretur non esse consentaneum veritati. Hæc eo liberalius offerens quod scirem eandem tractationem de Sicula Monarchia iudicio trium amplissimorum Cardinalium ventilatam, nequicquam habere in quo posses eam redarguere falsitatis: neque in hoc mea me fefellit opinio. Si quidem tu videns cũcta solıditate & firmitate diplomatum Romanorum Pontificum vt murum aëneum inconcussa persistere, eorum reueritus authoritatem (vt par erat) ab omni contradictione prudenter abstinuisti. Cum autem omnem tibi veritas ad redarguendum erroris res ipsas aditum præclusisset: tunc aduersus verba quæ acerbiora tibi sunt visa, tuos arietes conuertisti, sed conatum tuum frustra

cessisse, fractumque desiisse, ex iis quę à nobis superius dicta sunt, facillime colligere potuisti.

Tibi offero. dicis. Sed mihi non dedisti neque misisti per aliquem, qui nomine tuo daret; Sparsisti per vrbem eiusdem tuæ scriptionis exemplaria cõplura inuito & vetante Pontifice, iubẽte pariter quod ex Sanctitatis suæ ore percepi, vt dilapsa è manibus reuocares eadem exempla: sed ea & alia ex ipsis descripta adeo multiplicata esse percepimus, vt principibus & aliis nobilibus missa, non Italiam tantum sed Hispaniã quoque repleuerint, nec adhuc tamen ad me miseris, qui hæc tua fortasse ludẽs epistola adeo liberaliter mihi primum omnium profiteris offerre. Accepi tamẽ, nec abs te, sed ab alio qui descripsit, statimque hoc exemplar fideliter scriptum ex animi sententia nactus contuli me in Tusculanum, vbi licet carens domestica Bibliotheca, responsionem tamen Apologeticam istam, paucorum dierum vigiliis adornaui, quô scias, pro veritate certanti, vires à Deo deesse non posse nec arma. Offeram eam, prærogaXXXIIII.

tiua summa dignitatis & authoritatis, id exigente, summo Pontifici. Si contigerit in manus tuas aliquando deferri, accipe grato animo, bonique consule; vt autem eam offerre tibi non possem, iam abs te pręclusus est aditus, cum tu eam ad me scriptam Epistolã, nec mihi hactenus impertieris. Vale, scitoque me debita Christianæ charitatis erga te officia illibata in omnibus auctario etiã quotidiani fœnoris cumulanda perpetuò seruaturum.

FINIS.

EPISTOLA

CÆSARIS BARONII Cardinal. ad Philip. III. Regem Hiſpaniæ, de Monarchia Sicula.

Sacra Regia Catholica Maieſtas.

NON *ante creationem noui Pō-tificis, eiuſdemque ætate florentiſsimi, ſenior ego, laboribus fractus, viribus debilitatus, etiam ſepulchro propinquus, ad Catholicam Maieſtatem veſtram mihi in animum induxi fore ſcribendi, ne viderer, dicam liberè, Pontificia ceſſante Sede, eiuſmodi internuntio litterarum auram voluiſſe captare Regiam; & ita temere mihi viam ad gradus ſublimioris conſcenſionem. Sed procul abſit vt me Regum fauor, & non potius Regis Regum Chri-*

ſti gratia in thronum prouehat altiorẽ. Domini eſt aſſumptio noſtra, & ſancti Iſraël Regis noſtri, à quo tamẽ expecto, ipſe ſcit, ſedem illam in cœlo peremnem, quam promiſit ſequentibus ſe diſcipulis ſuis. Adeò vt hac ex parte compendii loco duxerim ſentire de illa diſpendiũ: ad quam excludendam etiam eſſe ego ipſe debeam adiumento, ne huius ſentiam detrimentum; & gratias agere, & bene precari magis iis qui obeſſent quam qui fauent: Ceſſantibus igitur *his, iam ad aures Regis* Catholici, *veritatis amantiſſimi atque iuſtitiæ obſeruantiſſimi, liberior acceſſus pateat emeritæ militiæ Eccleſiaſticæ, ſacerdoti cauſam agenti ſuam: &* Ro*manæ ſimul Eccleſiæ. Ingens concitatus eſt in me rumor, Catholice Rex, litteriſque conclamatum ad Apoſtolicam ſedem à Proregibus vtriuſque Regni Neapolitani atque Siciliæ, quòd con-*

tra Monarchiam Siculam tractatum ſcripſerim, edideri mque eam vnà cum XI. Annalium tomo ſuo loco, ſeruato ordine temporum collocatam. Iuſta eſſe potuiſſet iſta querela, ſi ad labefactandum, perdendum, demoliendúmque regnum vtrumque, & non potius ad firmandum quod caderet, fulciendum quod rueret, ſtabiliendũ quod nutaret: ad conſolidandum quod nõ conſiſteret, tentata iſta omnia probare potuiſſent: ſed probamus. Neceſſe eſt magnum cõſilium ſapientiſsimi Architecti Clemẽtis ſcilicet Sereniſsimæ memoriæ Papæ VIII. iſta curãtis. Qui probè ſciẽs, expertus eſt ipſe frequenter actitatum à Prædeceſſoribus, ſiue litteris per Nuntios, ſiue certis legationibus cum Regibus Hiſpaniarum, vt malè inſtitutam contra Eccleſiaſtica iura Siciliæ Monarchiam è medio tolleret, quam ſcirẽt nullo pacto poſſe ſubſiſtere; fruſtra ceſ-

sisse omnes conatus ipsorum prætextibus diuersis elusos, oblatam libens volensque occasionem arripuit. Cum enim scisset eodem XI. Annalium tomo tractari debere, certa habita temporum ratione res gestas Vrbani Papæ II. qui malè asseritur author eiusdem Monarchiæ Siculæ; Pontificia mox ipse nos interpellauit auctoritate, seriò valde monens ne cursim rem tãtam attingerem, potius quam discuterem, & de ipsa prolixius disputarem; sed vt propensiori studio in opus incumberem, antiquiora quæque verterem monumenta: scrutarer bibliothecæ Vaticanæ angulos singulos: eiusdem latebras penetrarem, & inaccessa munitissimi sancti Angeli penetralia archiuorum securus adirem, patere mihi cuncta præcipiens quæ vbique locorum essent vetera sedis Apostolicæ custodita in iis documenta. Hoc vnum intendens, vt ipsa, si quæ essent

sent quæ nulla re vera essent fūdamēta, Siculæ Monarchiæ, eadem refossa exponerentur oculis intuentium, ne quod esse posset amplius negandi subterfugiū, si eruderatis aggeribus, egesta terra, quod inesset in fundamētis iam pateret aspectui; non quidem vt malè erectam tantam molem sponte sua corruētem euerteret: sed potius vt paterno affectu aliquo remedio excogitato fulciret atque firmaret, vt absque scandalo tibi ipsi Catholico, Regi digno titulo tanto nomine integram cōseruaret. Quomodo autem hoc ipsum fieret, per recentē, qui in Hispanias à Serenissimo D. nostro Paulo V. Nuntius mittitur, vti accepimus nota erunt. Id fuit Serenissimi Papæ Clementis consilium tanto Pontifice dignum: is conatus eius sapientum ore laudandus. Quod verò ad demandatum ab ipso nobis pertinet institutum, pro viribus laborauimus,

Christo præuio, comite veritate, licet ipsa operosa editio tomi illius, haud me penitus liberum fecerit, vt totus in vnũ addictus ad alia non diuerterem, diuisus in multa fuerim. Ne autem quod petierat idem Pontifex assecutus perspicacissimo eius iudicio definiendum putaui. Quamobrem quæ à me eo argumento scripta fuere ad ipsum attuli cognoscenda. Accepit, legit ac perlegit iterum: eum expectans ego præsens sententiæ ipsius elogium, ex imo pectore alta suspiria ducens in ista dolens erupit. Numquam putasse, inquiens, adeò vanis inniti Monarchiam Siculam fundamentis. Ad pleniorem autem eiusdem scriptionis cognitionem, eandẽ ipsam tribus selectis S. R. E. Cardinalibus, disquirendi tribuit facultatem. Quam accuratè discussam, comprobatam pariter atque laudatam, ita ad lapidem lydium admotam sæpius, inuen-

tamque ſinceram atque dignam quæ typis excuſſa traderetur in lucem iuſsit imprimi, impreſſamque iterum ac ſelectã probatã iterum edi voluit, vnà cũ XI. tomo, cui erat intexta. Hactenus quæ ipſo viuente ſunt geſta. Vbi autem paucos poſt menſes ab editione eiuſdem Annalium tomi idem Sereniſsimus Papa ex hac vita ſubductus ſancto fine quieuit in me ipſum tanto patrocinio deſtitutum ſunt omnia tela conuerſa. Increbuit impetus detrahentium, irruit acerbitas perſequentium, velut iurato quidam implacabile bello; ſed in his aduerſis inde mihi ingens parta fiducia, atque eſt aucta ſecuritas: quod iuſſu Petri confirmata à Petro, ex ipſa ſede Petri ſcripta iſta noſtra prodierint abſque dubio in ſecula permanſura. Quicumque enim ſuper petram ædificauerit domum ſuam, verbo Domini pollicẽte, ſtabit eius ædificium ſempiternum, leo

ſupra petram, ob idque ſecurus & imperterritus: Leo ſupra Petram, quę nulla vnquam cuiuſuis eſt perſecutione confracta: confringens ipſa ſuper eos, qui in eam incautè nimis offenderint, & conterens illos ſuper quos ipſa ceciderit. Videant modò his aduerſantes, ne in ipſam impingant, neue ab ipſa ex alto ruentę petra penitus conterantur. Intelligant, ſerò ſaltem, laici homines quanto periculo comprobata à ſede Apoſtolica ſcripta condemnent atque proſcribant. Noſcant quanto pariter indecore, non ſine offenſa Catholicæ veritatis laïca manus clauē ſciētiæ, quā ſolius eſſe Petri Catholica profitetur Eccleſia arripuerit, vt iudicet atque damnet ſcripta iuſſu impetrata & calculo comprobata Romani Pontificis, cuius eſt authoritatis ſolius iudicare, probare vel condemnare cuiuſuis ſcripta, præſertim Eccleſiaſtica. At licet ex

humanis subductus sit Clemens, tamen sicut authoritas, ita idem spiritus atque voluntas propagata intelligitur in successores, modo ingens in Paulo cuius sicuti creatio exstitit admiranda; ita administratio Dei arbitrio ad perfectos numeros composita sit metuenda; vt nullo pacto passurus sit labefactari leges sacras, conuelli Ecclesiasticam immunitatem, aut præter fas iusque presumi vel abripi ab aliquo quidpiam vindex ipse acerrimus Ecclesiæ iurium. Demum verò antequam finem scribēdi faciam, vt obseruantiam meam erga Regiam Maiestatem vestram propensissimam amplissimis notis significem, hæc adiiciam; Quod cum natus sim ipsi subditus, tributum ei quotidiè persoluendum indixi mihi sinceræ fidelitatis, charitatis de corde puro, conscientia bona & fide non ficta, atque precum pro salute sua ad Deum. Quod verò

auctus sim postmodũ licet immeritus, sicut inuitus dignitate Cardinalatus, nequaquam his me volui exemptum obsequiis, & liberum ab officiis; Sed aucto fœnore sensum addidi debitum Principibus à Sacerdotibus, veritatem nimirum, cum tempus exigit & occasio postulat liberè annunciandi; quo munere reges cum magis consueuerint indigere, debeant auidius exoptare, oblatum verò accipere gratius, retinere tenacius, atque custodire diligentius. Quis contemnat audire monentes Sacerdotes, eius præsertim cardinis, in qua vnitate Ecclesiæ capitis vniuersus voluitur & regitur Catholicus orbis? Cuius quidẽ capitis, pro necessitate rerum, interdũ aurium, siue oculorum, interdum oris officio fungimur, vt sicut modò accidit, cum iussu Clementis, vt sæpe dictum est, scriptis illa mandaui: Quæ licet in malam partem accepta fuerint ab eius

ministris, de Maiestate vestra absit mihi aliud sentire, quam (sicuti est) de Rege Catholico, Ecclesiæ desẽsore, fidei Christianę propugnatore, atq. amatore veritatis, legum custode iustitiæque cultore sentiendum est. Quem rogo Deum, & rogabo semper dum vixero, custodiat nobis ipsum, diu multumque regnantem felicissimè. Valeat semper Deo placens, hominibusque proficiens Catholica Maiestas vestra. Datum Tusculano Idibus Iunii M.D.C.V.

Cathol. Maiestatis vestræ deuotiss.

Cæs. Card. Baronius.

